EPIGRAMMATA
AD VSVM SCHOLARVM

A PATRE

CAMILLO NICOLIO

CLER. REG. SCHOLARVM PIARVM

SELECTA

ET ADNOTATIONIBVS ILLVSTRATA

EDITIO SECVNDA

AVCTIOR ET EMENDATIOR.

FLORENTIAE MDCCLXI.
EX TYPOGRAPHIA IMPERIALI.

SVPERIORVM PERMISSV

PRAEFATIO

AD LECTOREM.

TRes ac viginti iam elapsi sunt anni, ex quo in lucem prodiit Liber Epigrammatum, quae P. Camillus Nicolius Cl. Reg. Scholarum Piarum ad usum Studiosae Iuventutis diligenter selegit, & breviusculis quidem, utilibus tamen, adnotationibus illustravit. Optimum religiosi huiusce, eruditi, atque in docendis adolescentibus diligentissimi viri consilium fuisse satis iam, superque diuturno experimento est confirmatum. Quum enim tot veterum, & recentiorum Epigrammata in uno eodemque Libello reperiantur, habent adolescentes in eorum pluribus quem suspiciant, atque imitari studeant Latinae linguae nitorem, atque elegantiam; ex aliis vero plerisque, tanquam ex optimis exemplaribus, quidquid ad Poëmatii huius inventionem, & dispositionem attinet

nullo fere incommodo & labore discere possunt. Qua sane de caussa factum est, ut qui post Nicolium ad Scholarum usum Epigrammatum delectum habuerunt, in plerisque cum eo consenserint; atque ipsi quoque non solum ex Catullo, Martiale, Ausonio, aliisque Latinis veterum temporum Poëtis; verum etiam ex Graeca Anthologia, atque ex elegantissimis decimisexti Christiani saeculi Scriptoribus Epigrammata seligenda, atque adolescentibus proponenda censuerint. Itaque quum animadverterimus omnia Nicoliani Libelli exemplaria distracta iam esse; nulli dubitavimus quin Opusculum ipsum praelo iterum esset subiiciendum. Visum tamen nobis fuit cum Typographi opera, & labore aliquam etiam coniungendam esse Editorum curam, ut hic Epigrammatum Delectus perfectior, atque utilior adhuc efficeretur. Nonnulla igitur omisimus ex Epigrammatis a Nicolio selectis, ut, non aucta Opusculi mole, alia afferre possemus, quae aut magis apta & opportuna, aut saltem non omittenda nobis videbantur. Licet autem

tem ordo, quem ſibi Nicolius conſtituit, a nobis non fuerit perturbatus; commodius tamen, gratiuſque legentibus Opuſculum hoc futurum putavimus, ſi tanta Epigrammatum multitudo in tres veluti Partes divideretur: quas, quia earum unaquaeque centum complectitur Epigrammata, *Centurias* appellavimus. Primam Catullo & Martiali Epigrammatariorum Principibus integram conceſſimus. Secunda nonnulla continet Epigrammata Auſonii, & Claudiani, & quinquaginta fere variorum veterum Poëtarum, quorum aut aetas, aut nomen ipſum incertum, vel ignotum etiam omnino eſt: his autem, ut centenarius numerus impleretur, triginta addidimus Epigrammata ex vetuſtis Romanis marmoribus deſcripta. Tertiam denique Centuriam conſtituunt quinquaginta Epigrammata ex celeberrimis decimiquinti, & ſextidecimi ſaeculi Poëtis; atque alia quinquaginta ex Graecorum Anthologia deſumpta. Ex quibus ſane poſtremis, viginti quinque ita deſcripſimus quemadmodum Latinis carminibus expreſſa fuerunt ab antiquis Latinis Poëtis, at-

que

que ab Ausonio praesertim; alia vero vigintiquinque ex versione doctorum quorumdam superioris saeculi virorum: apposita tamen semper litterali fere Graeci Epigrammatis explicatione, ut ex ea verum Poëmatis sensum, ac dispositionem adolescentes facilius, pleniusque intelligant. Quod in Epigrammatum delectu, atque ordine, idipsum in adnotationibus praestitimus. Quaedam sublata, addita quaedam fuerunt; contracta nonnulla, nonnulla fusius explanata; uno verbo id factum est, quod adolescentium commodum, atque utilitas expetere a nobis videbatur. Rectene id praestiterimus, tuum erit, Lector Benevole, iudicare; cui si forte consilium & labor noster, nostra certe iuvandae ingenuae, studiosaeque iuventutis voluntas, ac desiderium, ut confidimus, non improbabitur.

IN-

INDEX ALPHABETICVS

VETERVM POETARVM

Quorum Epigrammata in hoc Libello reperiuntur.

D. MAgnus *Ausonius* Burdigalensis floruit quarto Aerae Christianae saeculo, carus Valentiniano Imperatori, eiusque filii Gratiani praeceptor; anno Chr. 379. Consul fuit, obiitque anno 392.

C. Valerius *Catullus* Veronensis natus anno 98. ante Aeram Christianam, Cinnae, Caesaris, & Ciceronis amicus.

Cl. *Claudianus* Alexandrinus vixit sub Theodosio Imperat. eiusque filiis Arcadio, & Honorio, Aerae Christianae Saeculo IV.

C. *Germanicus* Caesar ex nobilissima Claudiorum Gente obiit sub Tiberio Imperatore annum agens trigesimum quartum.

M. Valerius *Martialis* Hispanus natus Bilbili floruit exeunte fere saeculo primo Aerae Christianae, obiitque imperante Traiano.

P. *Ovidius* Naso natus Sulmone in Pelignis anno 43. ante Aeram Christianam. Sub Augusto in exilium pulsus, Tomos in Ponto deportatus fuit, ibique obiit sexagenarius sub Tiberio Imperatore.

Palladius Rutilius Taurus Medicus & Poëta floruisse dicitur exeunte primo, atque ineunte secundo Aerae Christianae saeculo.

C. *Plinius* Secundus Novocomensis floruit sub Traiano, cui percarus fuit. Anno Chr. 100. Consulatum gessit; anno vero 113. obiit.

L. Annaeus *Seneca* Cordubensis natus circa annum Chr. 13. sub Caligula in exilium pulsus per biennium in Corsica fuit; sub Nerone vero sectis venis occisus est anno Chr. 65.

Albius *Tibullus* Eques Romanus floruit sub Augusto;

quartum supra trigesimum aetatis annum agens obiit 49. ante Chr. nat. an. ut plerique putant.

P. *Virgilius* Maro natus in vico Ande prope Mantuam septuaginta ante Christ. Aer. annis; obiit Brundusii annum agens quinquagesimum primum.

INDEX ALPHABETICVS RECENTIORVM POETARVM.

Quorum Epigrammata nonnulla in hoc Libello occurrunt.

PEtrus *Bembus* Venetus Leoni X. Pont. Max. a secretis, Episc. Bergomas & Cardinalis obiit anno 1547.

Hippolytus *Capilupus* Mantuanus Episcopus Fanensis obiit anno Chr. 1580. annum agens 68.

Io. *Cotta* Veronensis floruit paullo ante annum Chr. 1550.

M. Antonius *Flaminius* Foro-Corneliensis obiit anno Chr. 1551.

Michaël Tarchaniota *Marullus* obiit anno Chr. 1500.

Andreas *Naugerius* Patricius Venetus floruit post annum 1500, obiit autem anno 1549.

Angelus Ambroginus a Monte Politiano in Etruria, unde *Politianus* dictus, obiit Florentiae anno Chr. 1494.

Io. Iovianus *Pontanus* Neapolitanus floruit anno Chr. circ. 1490.

Actius Syncerus *Sannazarius* Neapolitanus obiit anno Chr. 1530.

Hercules *Strozza* Ferrariensis iam sexagenarius trucidatus est anno 1508.

Hieronymus *Vida* Cremonensis Episcopus Albae obiit anno Chr. 1566. aet. an. agens 69.

Basilius *Zanchius* Bergomas obiit anno 1560.

Anthologiam, idest *Florilegium* Epigrammatum Graecorum ex variis Graecis Poëtis desumptorum, contexuit atque in septem libros distribuit Maximus Planudes Monachus Constantinopolitanus, qui vixit quartodecimo Aerae Christianae saeculo.

SE-

SELECTORVM EPIGRAMMATVM

CENTVRIA I.

C. Valerii Catulli.

I. *Dedicat suum Libellum Cornelio Nepoti Chronicorum Scriptori.*

1. QVI dono lepidum novum libellum
Arida modo pumice 1 expolitum?
Corneli, tibi; namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas,
Iam tum quum ausus es unus 2 Italorum
Omne 3 aevum tribus explicare 4 chartis
Doctis, Jupiter 5 ! & laboriosis.
Quare habe tibi, quidquid 6 hoc libelli est,
Qualecumque: quod, o Patrima 7 Virgo,
Plus uno maneat perenne saeclo.

II. *Phasellum quemdam emeritum ab origine, celeritate, itineribus laudat, Diisque Servatoribus consecrat.*

2. Phasellus ille, quem videtis, hospites,

A Ait

1 Suos ex ovillis pellibus s. membranis libros pumice expolire antiqui consueverunt. 2 *Solus* ex Italis. 3 Omnium temporum historiam s. facta. 4 Paucis chartis, sc. exiguae molis libello. 5 Exclamatio admirantis e Graeco Ζεῦ. 6 Hunc libellum, qualiscumque sit. 7 O Minerva. Eleganter dicitur Dea haec a Poeta *Virgo patrima*, quia patrem tantummodo habebat.

Ait fuiſſe navium celerrimus 1,
2 Neque ullius natantis impetum trabis 3
2 Nequiſſe praeterire: ſive palmulis 4
Opus foret volare 5, ſive linteo 6.
Et hoc negat 7 minacis Adriatici
Negare 7 littus, inſulaſve Cycladas,
Rhodumve nobilem, horridamve 8 Thraciam,
9 Propontida, trucemque Ponticum 10 ſinum:
Vbi iſte, poſt 11 Phaſellus, antea fuit
Comata ſylva; nam Cythorio in iugo
Loquente 12 ſaepe ſibilum edidit coma.
Amaſtri Pontica, & Cythore buxifer,
Tibi haec fuiſſe, & eſſe cognitiſſima
Ait phaſellus: ultima 13 ex origine
Tuo ſtetiſſe dicit in cacumine:
Tuo imbuiſſe 14 palmulas in aequore:
Et inde tot per impotentia 15 freta
Herum tuliſſe: laeva, ſive dextera
Vocaret aura, ſive utrumque 16 Jupiter
Simul ſecundus incidiſſet in 16 pedem;
Neque ulla vota 17 littoralibus Diis
Sibi eſſe facta, quum veniret a mare
Noviſſimo 18 hunc ad uſque limpidum lacum 19.
Sed haec prius fuere: nunc recondita

Se-

1 Syntaxis Graeca pro *ſe fuiſſe celerrimum*. 2 *Sc.* atque potuiſſe. 3 *Trabis natantis*, ideſt navis. 4 Remis. 5 Celeriter currere. 6 Velo. 7 Sc. dicit teſtari, ſ. affirmare. 8 Horrida eſt Thracia ob frigus; atque ob incolarum etiam feritatem. 9 Mare Thracium; *da* ultima ſyllaba producitur ob duas conſonantes, quae ſunt initio ſequentis vocis *trucemque*. 10 Pontum Euxinum. 11 Qui poſtea fuit Phaſellus. 12 Foliis a vento reſonantibus. 13 A prima, ſive antiquiſſima; ideſt ab initio. 14 Tinxiſſe, madefeciſſe 15 Ferocia, procelloſa. 16 In utramque ſimul, dexteram ſcilicet, & ſiniſtram veli extremitatem aer ſ. ventus incidiſſet: hoc eſt, quum plenis, & aequatis velis a vento impelleretur. 17 Neque facta eſſe a ſe ulla vota *Diis littoralibus*; non enim fuit in iis naufragii periculis, ut ad hoſce Deos confugere coactus fuerit. 18 Ab extremo ſ. remotiſſimo mari. 19 Benacum in agro Veronenſi.

Senet [1] quiete, seque dedicat tibi
Gemelle [2] Castor, & gemelle [3] Castoris.

III. *Gratulatur Verannio reditum ex Hispania.*

3. Veranni, omnibus e meis amicis
Antistes mihi [4] millibus trecentis:
Venistine domum ad tuos Penates,
Fratresque unanimos, tuamque matrem?
Venisti? o mihi nuncii beati!
Visam te incolumem, audiamque [5] Iberûm
Narrantem loca, facta, nationes,
Vt mos est tuus: applicansque collum,
Jucundum os, oculosque suaviabor.
O quantum [6] est hominum beatiorum,
Quid me laetius [7] est, beatiusve?

IV. *Asinium furem ad remittendum sibi sudarium minanter hortatur.*

4. Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle [8] uteris in ioco, atque vino:
Tollis lintea [9] negligentiorum.
Hoc salsum [10] esse putas? fugit [11] te, inepte,
Quamvis [12] sordida res, & invenusta est.
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari [13] velit; est enim leporum
Disertus [14] puer, ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos

1 Senescit. 2 Castor, qui es frater *gemellus* Pollucis. 3 Pollux. 4 Sc. Ex omnibus amicis meis, meo iudicio, antistans aliis *trecentis* passuum *millibus*, idest, qui maximo intervallo alios superas. 5 Iberum Sync. pro Iberorum. 6 O beatiores homines quotquot estis. 7 Quis est me laetior, vel beatior. 8 Non facete, non urbane. 9 Sudaria. 10 Facetum, iocosum. 11 O inepte, nescis, non animadvertis; sive negligitur a te haec res. 12 Licet sit valde sordida. 13 Redimi. 14 Leporibus & facetiis plenus, atque abundans.

Exſpecta, aut mihi linteum remitte,
Quod me non movet aeſtimatione 1,
Verum eſt mnemoſynon 2 mei ſodalis;
Nam ſudaria ſetaba 3 ex Iberis
Miſerunt mihi muneri Fabullus,
Et Verannius. Hoc 4 amem neceſſe eſt,
Et Veranniolum meum, & Fabullum.

V. *Calvo Licinio Oratori, quod ſibi malorum Poetarum carmina dono miſiſſet, facete iraſcitur.*

5. Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundiſſime Calve, munere 5 iſto
Odiſſem te odio Vatiniano 6.
Nam, quid feci ego, quidve ſum locutus,
Cur 7 me tot male perderes 8 Poetis?
Iſti Di mala multa dent clienti,
Qui tantum 9 tibi miſit impiorum 10.
Quod ſi, ut ſuſpicor, hoc novum, ac repertum 11
Munus dat tibi Sulla 12 litterator:
Non eſt, mi 13, male, ſed bene ac beate,
Quod non diſpereunt 14 tui labores.
Dii magni horribilem, & ſacrum 15 libellum!
Quem tu ſcilicet ad tuum Catullum
Miſti 16, continuo 17 ut die periret,
Saturnalibus, optimo dierum.

Non

1 Pretio ſuo. 2 Monumentum. 3 Setabina, id. Setabi Hiſpaniae urbe facta. 4 Hoc ſudarium. 5 Ob iſtud munus ſc. ob carmina malorum Poetarum. 6 Acerbiſſimo, tali enim odio Ciceronem Vatinius, Vatinium vero Pop. Romanus proſequebatur. 7 Cuius cauſa. 8 Me affligeres vel profligares. 9 Tot indoctos Poetas ſ. tot mala carmina. 10 Ineptorum, malorum; *impii* iure dicuntur mali Poetae, qui quum Muſarum Sacerdotes ſint, male ipſis litant. 11 Recens inventum, aut diligenter quaeſitum. 12 Grammaticus litteris leviter imbutus, ſ. Grammatiſta. 13 O mi ſc. amice mi. 14 Non carent prorſus fructu & praemio tui labores forenſes. 15 Sc. execrandum. 16 Sync. pro miſiſti. 17 Ut male haberet toto ſ. integro Saturnalium die, qui eſt optimus. Saturnalia Feſta Saturni iucundiſſima menſe Decembri.

Non non hoc tibi, salse 1, sic abibit;
Nam, si 2 luxerit, ad librariorum
Curram scrinia: Caesios, Aquinos,
Suffenum 3, omnia colligam venena 4,
Ac te his suppliciis remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc, unde malum pedem tulistis,
Saecli incommoda, pessimi poetae.

VI. *Malum poetam Suffenum mire sibi ipsi placentem irridet.*

6. Suffenus iste, Varre, quem probe nosti,
Homo est venustus, & dicax, & urbanus,
Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia 5 aut decem, aut plura
Perscripta: nec sic, ut fit, in palimpsesto 6
Relata; chartae 7 regiae, novi libri,
Novi 8 umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia aequata 9.
Haec quum legas, tum 10 bellus ille, & urbanus
Suffenus, unus 11 caprimulgus 12, aut fossor
Rursus videtur: tantum 13 abhorret, ac mutat 14.
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,
(Aut, si quid hac re 15 tritius) videbatur,
Idem inficeto est inficetior 16 rure,

1 O Facete. 2 Statim ac dies illuxerit. 3 Hi omnes mali Poetae. 4 Pessima carmina. 5 Sc. Perscripta ab illo esse decem, aut plura versuum millia. 6 Charta vilior, ex qua aliquid spongia deletum erat, ut aliud in ipsa denuo scriberetur: nomen a Graec voc. πάλιν. ψάω *iterum abstergo*. 7 *Id.* maiores, nobiliores. 8 Bacilli in duabus extremitatibus ebore, aut pretioso ligno ornati. Circum hos Bacillos volvebantur libri, qui ex membranis erant: quod in Mappis Geographicis nunc quoque fieri solet. 9 Vid. Epigr. I. 10 Elegans, facetus. 11 Idem ipse. 12 Caprarius qui Capras mulget. 13 Dissimilis s. diversus est a se ipso. 14 Pro *mutatur*. 15 Siquis est magis exercitatus, quam scurra. 16 *Rure* pro *rustico*, ut *scelus* pro *scelestus*. Sensus est: ineptior & rudior inepto & rudi rustico.

Simul 1 poemata attigit 2: neque idem unquam
Aeque est beatus, ac poema quum scribit:
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.
,, Nimirum idem 3 omnes fallimur, neque est quisquam,
,, Quem non in aliqua re videre Suffenum 4
,, Possis. Suus cuique attributus est error:
,, Sed non videmus manticae quod 5 in tergo est.

VII. *Furio sciscitanti cui vento villa sua obnoxia esset, per dilogiam facete respondet.*

7. Furi, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Favoni,
Nec saevi Boreae, aut Apeliotae 6:
Verum ad millia quindecim, & ducentos 7.
O ventum horribilem. atque pestilentem!

VIII. *Cyathos meri vividioris a ministro poscit.*

8. Minister vetuli puer Falerni 8,
Inger 9 mi 10 calices amariores 11,
Ut lex Posthumiae iubet magistrae 12,
Ebriosa acina ebriosioris.
At vos, quo lubet, hinc abite lymphae 13

Vi-

1 Simul ac. 2 Scribere aggressus est. 3 In eadem re, s. eodem modo. 4 Suffeno similem. 5 Sc. id manticae quod &c. sive eam manticam quae est in tergo. Ex Fabula Aesopi, qui duas homini manticas esse dicit; anteriorem unam in qua aliena, posteriorem in qua nostra mittuntur vitia, quae propterea non videmus. 6 Sc. Subsolano s. Euro, qui ab Oriente spirans opponitur Favonio sc. Zephyro. 7 Ventos. Hoc allegorice dictum plerique putant, ut indicaret villam suam oppositam, idest oppigneratam quindecim millibus & ducentis sestertiis; aut plurimis creditoribus. 8 Vinum generosum ex agro Falerno in Campania. 9 Pro *ingere*. 10 Sync. *mihi*. 11 Meracioris sc & antiquioris vini 12 Magistrae s. Reginae Convivii, quae Romanorum more quantum Convivarum cuilibet bibendum esset praescribebat. 13 Aquae.

Vini pernicies, & ad feveros 1
Migrate: hic merus eft Thyonianus 2.

IX. *Sirmionis in lacu Benaco Peninfulae laudes.*

9. Peninfularum, Sirmio, infularumque
Ocelle 3, quafcumque in liquentibus ftagnis,
Marique vafto fert 4 uterque Neptunus 5:
Quam te libenter, quamque laetus invifo,
Vix mi ipfe credens Thyniam 6, atque Bithynos
Liquiffe campos, & videre te in tuto 7.
O quid folutis 8 eft beatius curis,
Quum mens onus reponit, ac peregrino 9
Labore feffi venimus larem ad noftrum 10,
Defideratoque acquiefcimus lecto?
Hoc eft, quod unum 11 eft pro laboribus tantis.
Salve, o venufta Sirmio, atque hero gaude:
Gaudete vofque Lydiae 12 lacus undae:
Ridete quidquid 13 eft domi cachinnorum.

X. *Praedio fuo gratias agit, quod in ipfo gravedinem, & tuffim depulerat.*

10. O Funde nofter, feu Sabine, feu Tiburs
(Nam te effe Tiburtem autumant, quibus non eft
Cordi Catullum laedere: at quibus cordi eft,
Quovis Sabinum pignore 14 effe contendunt.)

 Sed

1 Ob fobrietatem. 2 Ideft merus f fincerus liquor Bacchi. Bacchus enim Thyonaeus dicitur, unde Thyonianus Bacchicus. 3 Pulcherrima, nobiliffima. 4 Habet. 5 Qui nimirum dulcibus lacuum, & falfis marium aquis imperat. 6 Quae eft infula ad fauces Ponti. 7 Quum fim iam in tuto. 8 Sc. homine a curis libero, foluto. 9 Quem peregre extra patriam fuftinuimus 10 Domum noftram. 11 Accipitur, obtinetur. 12 Lydiae dicuntur aquae Benaci, quia lacus hic fuit olim in poteftate Etrufcorum, qui Lydi appellabantur a Lydia, ex qua regione in Italiam venerunt. 13 Ridete omnibus cachinnis, qui domi funt. 14 Depofito quovis pignore.

Sed seu Sabine, sive verius 1 Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa, malamque pectore expui tussim,
Non immerenti 2 quam mihi meus venter,
Dum sumptuosas 3 appeto, dedit, coenas.
Nam Sextianus 4 dum volo esse conviva,
Orationem in Attium petitorem 5
Plenam veneni 6, & pestilentiae legit.
Hic me gravedo frigida, & frequens tussis
Quassavit, usque dum in tuum sinum fugi,
Et me procuravi 7 ocimoque, & urtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulta 8 peccatum.
Nec deprecor 9 iam, si nefaria scripta
Sexti recepso 10: quin gravedinem, & tussim
Non mi, sed ipsi Sextio ferat frigus,
Qui tunc vocat me, quum malum legit librum.

XI. *Bithyniam relicturus comitibus valedicit.*

11. Iam ver egelidos 11 refert tepores,
Iam caeli furor aequinoctialis 12
Iucundis Zephyri silescit auris:
Linquantur Phrygii, Catulle, campi,
Niceaeque ager uber aestuosae 13.
Ad claras Asiae volemus urbes.
Iam mens praetrepidans 14 avet vagari:
Iam laeti studio 15 pedes vigescunt.
O dulces comitum valete coetus,

Lon-

1 Tiburtina praedia Horatio magis grata, fortasse quod Sabinis amoenitate, aut fertilitate praestarent. 2 Qui id merueram. 3 Lautas, opiparas. 4 Sc. conviva Sextii. 5 Competitorem suum, qui nempe eumdem Magistratum petebat; vel actorem, qui litem ipsi intenderat. 6 Maledictorum. 7 Curavi. 8 O suburbana villa, non es ulta. 9 Recuso. 10 Pro *recepero* h. e iterum accepero f. audivero. 11 Temperatos. 12 Sub aequinoctium vernum venti vehementissimi. 13 Aestivo tempore nimio calori obnoxiae. 14 Gestiens, desiderio agitata. 15 Iter habendi.

Longe quos ſimul a domo 1 profectos
Diverſos 2 variae viae reportant.

XII. *M. Tullio Ciceroni gratias agit.*

12. Diſertiſſime Romuli Nepotum
Quot ſunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque poſt 3 aliis erunt 4 in annis:
Gratias tibi maximas Catullus
Agit peſſimus omnium poeta:
Tanto peſſimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

XIII. *Indignatur Strumam, & Vatinium nequam homines Magiſtratum conſequutos.*

13. Quid eſt, Catulle, quod moraris 5 emori?
Sella in 6 Curuli Struma Nonius ſedet:
Per conſulatum 7 peierat Vatinius.
Quid eſt, Catulle, quod moraris emori?

XIV. *De ingrati animi vitio.*

14. Deſine de quoquam quidquam 8 bene velle mereri,
Atque aliquem fieri poſſe putare tuum 9.
Omnia ſunt ingrata: nihil feciſſe benignè eſt 10:
Imo etiam taedet, ſtatque 11 magiſque magis.
Vae mihi,quem nemo gravius, nec acerbius urget 12,
Quam modo 13 qui me unum, atque unicum amicum habuit.

XV.

1 E patria. 2 Seorſum. 3 Poſtea, deinde. 4 Annis futuris. 5 Tardas, cunctaris. 6 Sella Curulis eburnea fuit maiorum Magiſtratuum, Conſulum, Praetorum, Aedilium. 7 Sc. ſuum, quia Conſul creatus fuerat. 8 in aliqua re, aut aliquo beneficio. 9 Ita ut ipſi fidere omnino poſſis. 10 Ordo: *nihil eſt feciſſe benigne*, ideſt nihil prodeſt alios beneficiis affeciſſe. 11 Hoc magis, magiſque infixum eſt animo. 12 Vexat, nocet. 13 Nuper, paullo ante.

XV. *Arrium perſtringit, quod temere aſpirationibus uteretur.*

15. *Chommoda* dicebat, ſiquando commoda vellet
Dicere, & *hinſidias* Arrius inſidias.
Et tum mirifice ſperabat 1 ſe eſſe loquutum,
Quum quantum poterat, dixerat *hinſidias*.
Credo ſic mater, ſic Liber avunculus eius,
Sic maternus avus dixerat, atque avia.
Hoc miſſo in Syriam requierant 2 omnibus aures,
Audibant 3 eadem haec leniter 4, & leviter 5.
Nec ſibi poſtilla 6 metuebant talia verba,
Quum ſubito affertur nuncius horribilis.
Jonios fluctus, poſtquam illuc Arrius iſſet,
Iam non Ionios eſſe, ſed *Hionios* 7.

XVI. *Fraternis cineribus parentat.*

16. Multas per gentes, & multa per aequora vectus
Advenio has miſeras, frater, ad inferias 8,
Vt te poſtremo donarem munere 9 mortis,
Et mutum nequidquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi te te abſtulit ipſum,
Heu miſer, indigne, frater, ademptc mihi!
Nunc tamen interea priſco quae more parentum
Tradita ſunt triſtes munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu,
Atque in perpetuum, frater, ave, atque vale.

M. Va-

1 Putabat: 2 Sync. pro requieverant. 3 Id. audiebant. 4 Sine aſpiratione. 5 Sine incommodo ac taedio. 6 Poſtea, deinceps. 7 Aſperum & horridum adeo Romanis auribus fuit vocabulum hoc cum aſpiratione, ut horribilis dici potuerit nuncius de eo allatus. Alii putant nuncium hunc horribilem retuliſſe Arrium facto naufragio in Jonio mari feciſſe ipſi nomen *Hionii*, quemadmodum Icarus naufragus nomen fecit Icariis aquis. 8 Sacrificia, quae mortuorum animabus fiebant. 9 Exequiis.

M. Valerii Martialis.

XVII. *Gratulatur sibi Poeta de fama, quam vivens adhuc consequutus fuerat.*

1. Hic est, quem 1 legis, ille, quem requiris
Toto notus in orbe, Martialis,
Argutis Epigrammaton 2 libellis
Cui, lector studiose 3, quod dedisti
Viventi decus, atque sentienti,
Rari post cineres 4 habent Poetae.

XVIII. *De Regulo Caussid co sub ruina porticus ferme inte empto.*

2. Itur ad Herculei 5 gelidas qua Tiburis arces,
Canaque sulphureis Albula 6 fumat aquis;
Rura, nemusque sacrum 7, dilectaque iugera Musis
Signat vicina quartus 8 ab urbe lapis.
Hic rudis aestivas praestabat porticus umbras,
Heu quam paene novum porticus ausa nefas!
Nam subito collapsa ruit, quum mole sub illa
Gestatus biiugis 9 Regulus esset equis.
Nimirum timuit nostras fortuna querelas,
Quae par 10 tam magnae non erat invidiae.
Nunc & damna iuvant, sunt ipsa pericula tanti 11:
Stantia 12 non poterant tecta probare Deos.

XIX.

1 Ordo: Hic, quem legis, est ille Martialis, quem requiris. 2 Genit Graec pro Epigrammatum. 3 Id benevole, amice. 4 Post mortem. 5 Herculeum Tibur, quia Hercules urbis ipsius Deus tutelaris. 5 Balnea Tiburtina, quorum aquae sulphureis particulis refertae, adeoque calidae sunt, ac fumant. 7 Sacrum s. consecratum Musis 8 Signum quarti milliaris: Romani enim ad mille quosque passus lapidem s. columellam erigebant, in qua uncialibus litteris, quot passuum millibus urbs abesset, notabant. 9 Biga, s. curru a duobus equis vecto. 10 Non erat par sustinendae, sc ferre non poterat. 11 Tanto in pretio habenda sunt. 12 Si stetissent.

XIX. *De Leone, & Lepore.*

3. Rictibus his tauros non eripuere Magistri 1,
Per quos praeda fugax, itque reditque lepus.
Quodque magis mirum, velocior exit ab hoste 2,
Nec nihil a tanta nobilitate 3 refert.
Tutior in sola 4 non est quum currit arena,
Nec caveae 5 tanta conditur ille fide.
Si vitare canum morsus, lepus improbe 6, quaeris,
Ad quae confugias, ora leonis habes.

XX. *Ad Leporem.*

4. Non facit 7 ad saevos cervix, nisi prima, 8 leones;
Quid fugis hos dentes, ambitiose 9 lepus?
Scilicet 10 a magnis ad te descendere tauris,
Et quae non cernunt frangere colla velint.
Desperanda tibi est ingentis gloria fati:
Non potes hoc tenuis praeda sub hoste mori.

XXI. *De Amicorum iudicio.*

5. Siquid 11, Fusce, vacas 11 adhuc amari,
(Nam sunt hinc tibi, sunt & hinc amici)
Unum, si superest, locum rogamus.
Nec me, quod tibi sum novus, recuses.
Omnes hoc 12 veteres tui 13 fuerunt;
Tu tantum inspice, qui novus paratur 14,
An possit fieri vetus sodalis.

XXII.

1 Custodes, mansuetarii. 2 Ab ore Leonis, qui eius hostis esse solet. 3 Aliquid animi & virium accipere videtur a nobilitate Leonis. 4 Vacua, sine ullis feris. 5 *Tanta fide caveae* pro *tanta fide a cavea*. 6 Audax. 7 Non convenit. 8 Maxima, sive maiorum animalium. 9 Qui audes sperare hoc nobile mortis genus. 10 Ironice, ut exprimat *certe nolent*. 11 Si adhuc apud te est locus novo amico, a quo ameris. 12 Scilicet *novi* fuerunt. 13 Amici. 14 Conciliatur.

XXII. *Ad Flaccum de Sportula.*

6. Dat Baiana 1 mihi quadrantes 2 sportula centum;
Inter delicias 3 quid facit ista fames?
Redde Lupi nobis, tenebrosaque 4 balnea Grylli:
Tam male quum coenem, cur bene, Flacce, lavor?

XXIII. *Ad Celerem malum Poetam.*

7. Ut recitem tibi nostra rogas Epigrammata; nolo.
Non audire, Celer; sed recitare 5 cupis.

XXIV. *De Lino non solvente debita.*

8. Dimidium donare Lino, quam credere totum,
Qui mavult, mavult perdere dimidium 6.

XXV. *De Porticu, quae Regulum ruina sua fere obruit.*

9. Haec, quae pulvere dissipata multo,
Longas porticus explicat 7 ruinas,
En quanto iacet absoluta 8 casu.
Tectis nam modo 9 Regulus sub illis
Gestatus fuerat, recesseratque,
Victa est pondere quum suo repente:
Et postquam domino nihil 10 timebat,
Securo 11 ruit incruenta 12 damno.

Tan-

1 Sportula, quam Baiis a te accipio. 2 Scil. 25. asses, sive Denarios duos cum dimidio. 3 Balnei. 4 Balnea Grylli & Lupi obscura &c. ita vilia erant, ut vilis sportula 100. quadrantium. 5 Quae enim ex Martiale audiebat fortasse veluti sua aliis recitabat. 6 Perdere nimirum illud dimidium, quod illi credidit, non autem donavit. 7 Exhibet, ostendit magnas ruinas multo pulvere. 8 Quam magni casus crimine s. culpa absoluta. 9 Paullo ante. 10 Non timebat, ne aliquod damnum afferret domino. 11 Quod Regulo certe nocere non poterat. 12 Sanguinem non fundens, neminem scil. opprimens, aut interficiens.

Tantae, Regule, post metum 1 querelae,
Quis curam 2 neget esse te Deorum,
Propter quem fuit innocens ruina?

XXVI. *Ad Naevolum Caussidicum ineptum.*

10. Quum clamant omnes, loqueris tu, Naevole, tantum,
Et te patronum, caussidicumque putas.
Hac ratione potest nemo non esse disertus.
Ecce tacent omnes; Naevole, dic aliquid.

XXVII. *Ad Aeliam edentulam.*

11. Si memini, fuerant tibi quattuor, Aelia, dentes:
Expuit una duos tussis, & una duos.
Iam secura potes totis tussire diebus;
Nil 3 istic, quod agat, tertia tussis habet.

XXVIII. *Ad Caecilianum belluonem.*

12. Dic mihi, quis furor 4 est? turba spectante vocata 5
Solus boletos, Caeciliane, voras.
Quid dignum tanto ventrique, gulaeque precabor?
Boletum 6, qualem Claudius 7 edit, edas.

XXIX. *De Porsena, & Mutio Scaevola.*

13. Dum peteret regem 8 decepta satellite 9 dextra,
Iniecit sacris 10 se peritura focis.
Sed tam saeva pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis iussit abire virum.
Vrere quam potuit contempto Mutius igne,
Hanc spectare manum Porsena non potuit.

Ma-

1 Tanti damni, de quo conquesti essemus. 2 In cura. 3 Sc. nullum alium dentem, quem eiiciat. 4 Quae dementia. 5 Convivis a te invitatis. 6 Optimi sc. saporis & qualitatis; sed veneno infectum. 7 Ita veneno occisus fuit Claudius Imperator. 8 Porsenam. 9 Milite, stipatore. 10 Sc. coniecit se in ignem sacrum, ut ureretur.

Maior deceptae fama eſt, & gloria dextrae;
Si non erraſſet, fecerat illa minus.

XXX. *Ad Fidentinum plagiarium.*

14. Fama refert noſtros te, Fidentine, libellos
Non aliter populo, quam [1] recitare tuos.
Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam:
Si dici tua vis, haec eme, ne mea ſint.

XXXI. *De Gellia, & fictis eius lacrimis.*

15. Amiſſum non flet, quum ſola eſt Gellia, patrem;
Siquis adeſt, iuſſae [2] proſiliunt lacrimae.
Non dolet hic quiſquis laudari [3], Gellia, quaerit;
Ille dolet vere, qui ſine teſte [4] dolet.

XXXII. *Ad Lucanum & Tullum fratres inter ſe coniunctiſſimos.*

16. Si, Lucane, tibi, vel ſi tibi, Tulle, darentur,
Qualia Ledaei [5] fata [6] Lacones habent.
Nobilis haec eſſet pietatis rixa duobus,
Quod pro fratre mori vellet uterque prior.
Diceret infernas, ſiquis prior iſſet ad umbras;
Vive tuo, frater, tempore, vive meo [7].

XXXIII. *Ad Fidentinum plagiarium.*

17. Quem recitas, meus eſt, o Fidentine, libellus;
Sed male quum recitas, incipit eſſe tuus [8].

XXXIV.

[1] Non aliter quam tuos. [2] Ad nutum, & imperium eius. [3] Ob fletum. [4] Quum ſolus eſt. [5] *Ledaei Lacones* ſunt Caſtor & Pollux Iovis & *Ledae* filii *Spartani*. [6] Fato conſtitutum erat ut Pollux immortalis, Caſtor mortalis eſſet. [7] Adeoque vive ſemper. Tanta non fuit Caſtoris pietas, qui ut alternis diebus viveret, paſſus eſt Pollucem alternos dies de immortali vita ſua amittere. [8] Malus nimirum, quia male a te recitatus.

XXXIV. *De Ape electro inclusa*

18. Et latet 1, & lucet 2 Phaetontide condita gutta 3,
Vt videatur apis nectare 4 clausa suo.
Dignum tantorum 5 pretium tulit illa laborum;
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

XXXV. *In male recitantem*.

19. Quid recitaturus circumdas vellera collo?
Conveniunt nostris auribus 6 illa magis.

XXXVI. *De Vesuvio monte, cuius incendium dolet*.

20. Hic est pampineis 7 viridis modo Vesvius 8 umbris,
Presserat hic madidos nobilis 9 uva lacus 10.
Haec iuga, quam Nysae 11 colles, plus Bacchus amavit:
Hoc nuper Satyri monte dedere 12 choros.
Haec Veneris sedes, Lacedaemone gratior illi:
Hic locus Herculeo 13 nomine clarus erat.
Cuncta iacent flammis, & tristi mersa favilla 14:
Nec Superi vellent hoc licuisse sibi.

XXXVII. *De Vipera electro inclusa*.

21. Flentibus Heliadum 15 ramis 16 dum Vipera serpit,
Fluxit in obstantem succina gemma 17 feram:
Quae

1 Tegitur. 2 Conspicua est, apparet. 3 Electro: quod formatum putant Poetae ex lacrimis sororum Phaetontis, s. Heliadum in populos conversarum. 4 Melle. 5 Quos in melle faciendo pertulit. 6 Vt nempe tectis auribus non audiamus te male recitantem. 7 Vitibus. 8 Vesuvius Campaniae mons. 9 Vinum nobile sc. generosum. 10 Sc. impleverat vasa, quibus vinum ex praelo excipiebatur. 11 Vrbs Indiae a Baccho exstructa. 12 Choreas agitaverunt. 13 Erat hic urbs dicta *Heraclea*, sive *Herculanum* ab Hercule. 14 Cinere. 15 Populorum, in quas conversae Heliades. 16 Flentes dicuntur Rami, quia lacrimae s. Electrum ex ipsis manat. 17 Electrum.

Quae dum miratur pingui se rore 1 teneri,
Concreto riguit vincta repente gelu.
Ne tibi regali placeas, Cleopatra, sepulcro 2:
Vipera si tumulo nobiliore iacet.

XXXVIII. *De Fabricio, & Aquino in eodem tumulo iacentibus.*

22. Fabricio iunctus fido requiescit Aquinus,
Qui prior 3 Elysias gaudet adisse domos.
Ara duplex 4 primi 5 testatur munera 5 pili:
Plus tamen est titulo 6 quod breviore legis.
„ Functus uterque sacro laudatae foedere vitae,
„ Famaque, quod raro novit, amicus erat.

XXXIX. *Ad Lucium Iulium se facturum bona carmina, si adfuerit merces s. praemium.*

23. Saepe mihi dicis, Luci 7 clarissime Iuli 7,
Scribe aliquid magnum; desidiosus homo es.
Otia 8 da nobis; sed qualia fecerat olim
Maecenas Flacco, Virgilioque suo.
Condere victuras tentem 9 per saecula curas,
Et nomen flammis eripuisse 10 meum.
In steriles campos nolunt iuga ferre iuvenci:
Pingue solum lassat 11, sed iuvat 11 ipse labor.

XL. *Ad Faustinum de acerba morte Antullae.*

24. Hos tibi vicinos, Faustine, Telesphorus hortos
Faenius, & breve rus, udaque 12 prata tenet.

1 Electro. 2 Ob regale sepulcrum. 3 Antequam nimirum Fabricius amicus moreretur. 4 Duae Arae, tumuli, s. cippi sepulcrales. 5 Eos functos fuisse officio Primipili. Erant hi duces primae Centuriae in ordine Triariorum. 6 Sequenti brevi Epitaphio. 7 Clarissime Luci Iuli. 8 Vitae tranquillitatem, commoda. 9 Tentabo. 10 Eripere. 11 Sc. gravis labor est eorum, qui arant solum pingue; sed solatur agricolas fructu, quem affert. 12 Humida.

Condidit hic natae cineres, nomenque sacravit 1,
Quod legis, Antullae, dignior 2 ipse legi.
Et Stygias aequum fuerat patrem isse sub umbras:
Sed quia non licuit, vivit, ut ossa colat.

XLI. *De Paullo Plagiario.*

25. Carmina Paullus emit, recitat sua carmina Paullus;
Nam quod emas possis dicere iure suum 3.

XLII. *In Caium avarum.*

26. Mutua viginti sestertia forte rogabam,
Quae vel 4 donanti non grave munus erant.
Quippe rogabatur felixque, vetusque sodalis,
Et cuius laxas 5 arca flagellat 6 opes.
Is mihi; dives eris, si caussas egeris, inquit;
Quod 7 peto da, Cai, non peto consilium.

XLIII. *In Ponticum cuius timidum, & servilem animum arguit.*

27. Lis mihi cum Balbo est, tu Balbum offendere non vis,
Pontice: cum Licino est, hic quoque magnus 8 homo est.
Vexat saepe meum Patrobas confinis agellum:
Contra libertum Caesaris ire times.
Abnegat, & retinet nostrum Latonia servum;
Respondes orba 9 est, dives 10, anus, vidua.
Non

1 Inscripsit tumulo. 2 Graecismus pro *magis iustum erat* ut eius nomen in sepulcro legeretur, antequam in ipso Antullae nomen scriberetur. 3 Ludit in hac voce *suum*; alio enim sensu suum dicit librum, qui emit, alio sensu qui scripsit. 4 Quae etiam donare non erat grave, s. incommodum Caio 5 Amplas, multas. 6 Coercet, claudit quasi quodam carcere 7 Pecuniam. 8 Hoc opponit Ponticus. 9 Sine filiis, 10 Eius fortasse haereditatem captabat Ponticus.

Non bene, crede mihi, servo servitur amico;
Sit liber, dominus qui volet esse meus.

XLIV. *In Postumum otiosum*.

28. Occurris quocumque loco mihi, Postume, clamas
Protinus, & prima est haec tua vox: quid agis?
Hoc, si me decies una conveneris hora,
Dicis; habes puto tu, Postume, nil quod agas 1.

XLV. *Ad Caecilianum invidum*.

29. Candidius 2 nihil est te, Caeciliane, notavi:
Siquando ex nostris disticha pauca legis,
Protinus aut Marsi 3 recitas, aut scripta Catulli.
Haec mihi das, tanquam deteriora 4 legas.
Vt collata 5 magis 6 placeant mea? credimus 6 illud.
Malo tamen recites, Caeciliane, tua 7.

XLVI. *De Fannio, cuius spontaneam mortem arguit*.

30. Hostem quum fugeret, se Fannius ipse peremit:
Hic, rogo, non furor est, ne moriare 8, mori?

XLVII. *Petit a Domitiano ius trium liberorum*.

31. Rerum certa salus, terrarum gloria, Caesar,
Sospite quo magnos 9 credimus esse Deos:
Si festinatis 10 toties tibi lecta libellis
Detinuere oculos carmina nostra tuos:

B 2 Quod

1 Si enim occupatus esses: id semper facere non posses. 2 Nullum magis simplicem, & ingenuum *ironice*. 3 Fuit hic Poeta non ignobilis. 4 Quasi videantur tibi deteriora, sc minus bona, dum ea legis. 5 Vt mea cum his comparata. 6 Ironice. 7 Tua enim esset gloria *ironice*. 8 Ne interficiaris ab alio, interficere teipsum. 9 Id. potentes, & providos. 10 *Festinanter* a te lectis, sive a me scriptis.

Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar ut esse 1 trium.
Haec si displicui, fuerint solatia nobis;
Haec fuerint nobis praemia, si placui.

XLVIII. *Ad librum suum cur abierit Roma, & quando rediturus sit.*

32. Romam vade, liber. Si veneris unde requiret 2?
Aemiliae 3 dices de regione viae.
Si quibus in terris, qua simus in urbe rogabit,
Corneli referas me licet esse foro 4.
Cur absim quaeret: breviter 5 tu multa fatere:
Non poterat vanae taedia ferre togae.
Si quando veniet? dicet; responde 6, poeta
Exierat: veniet quum citharoedus 7 erit.

XLIX. *De Vipera in ore Ursae marmoreae.*

33. Proxima centenis 8 ostenditur ursa columnis,
Exornant fictae 9 qua Platanona 10 ferae 9.
Huius dum patulos 11 alludens 12 tentat hiatus
Pulcher Hylas: teneram mersit in ora manum,
Vipera sed caeco 13 scelerata latebat in ore,
Vivebatque anima deteriore 14 fera.
Non sensit puer esse dolos, nisi dente recepto
Dum perit. O facinus falsa 15 quod ursa fuit.

L. *Ad*

1 Plura erant eorum privilegia, qui tres filios haberent.
2 Aliquis, sive Urbs ipsa. 3 Via quae Arimino Placentiam ducit. 4 Forum Cornelii nunc *Imola*. 5 Paucis verbis. 6 Ultima brevis. 7 Divites enim, atque in honore erant iis temporibus Romae Citharoedi. 8 Centum. 9 Statuae ferarum. 10 Locum Platanis consitum. 11 Apertum os. 12 Ludibundus. 13 Obscuro. 14 Peiore nimirum, quam anima Ursae. 15 Si vera enim fuisset, nec ibi vipera latere potuisset, nec puer ad eam accessisset.

L. *Ad Ligurinum molestum Poetam*.

34. Fugerit an mensas Phoebus, coenamque Thyestae 1
Ignoro; fugimus nos, Ligurine, tuam.
Illa quidem lauta est, dapibusque instructa superbis;
Sed nihil omnino, te recitante, placet.
Nolo mihi ponas rhombum, mullumve bilibrem;
Nec volo boletos, ostrea nolo; tace 2.

LI. *De Puero stillicidio iugulato*.

35. Qua vicina pluit Vipsanis 3 porta 4 columnis,
Et madet assiduo lubricus 5 imbre lapis:
In iugulum pueri, qui roscida 6 templa subibat,
Decidit hiberno praegravis unda 7 gelu.
Quumque peregisset miseri crudelia 8 fata,
Tabuit in calido vulnere mucro tener 9.
Quid non saeva sibi voluit fortuna licere?
Aut ubi mors non est, si iugulatis, aquae?

LII. *Ad Quinctum exigentem Epigrammata gratis*.

36. Exigis, ut donem nostros tibi, Quincte, libellos;
Non habeo, sed habet Bibliopola Tryphon.
Aes dabo 10 pro nugis, & emam tua carmina sanus 11?
Non, inquis, faciam tam fatue: nec 12 ego.

1 Cui Atreus filios in coena comedendos apposuit. 2 Hoc solum volo, ut taceas. 3 Prope porticum Vipsanam. 4 Porta Capena, hodie *S. Sebastiani*, pluere dicebatur quia ex Aquaeductibus aliquid semper aquae ibi manabat. 5 Lubrici lapides, quibus via strata erat, quia semper madidi 6 Madida; alii legunt *tecta*. 7 Glacies. 8 Occidisset hunc miserum 9 Facile enim solvitur glacies. 10 Ita loquitur Quinctus. 11 Mentis compos. 12 *Sub.* dabo gratis: ita respondet Poeta.

LIII. *De Vestino, cuius iam morituri liberalitatem in amicos laudat.*

37. Quum gravis 1 extremas Vestinus duceret horas.
Et iam per Stygias esset iturus aquas:
Vltima volventes orabat pensa 2 sorores,
Vt traherent parva stamina pulla 3 mora 4.
Iam sibi defunctus, caris dum vivit amicis,
Moverunt tetricas tam pia vota Deas.
Tum largas partitus 5 opes a luce recessit:
Seque mori posthac credidit ille senem 6.

LIV. *In Ponticum, qui sibi generosa, convivis autem vilia vina apponebat.*

38. Nos bibimus vitro, tu myrrha 7 Pontice: quare?
Prodat perspicuus 8 ne duo 9 vina calix.

LV. *Callistrato licet ditissimo se praeferendum esse probat.*

39. Sum fateor, semperque fui, Callistrate, pauper,
Sed non obscurus 10, nec male notus 11 eques:
Sed toto legor orbe frequens 12, & dicitur: Hic est;
Quodque cinis 13 paucis, hoc mihi vita dedit.
At tua centenis incumbunt tecta columnis,
Et libertinas 14 arca flagellat 15 opes:
Magnaque 16 Niliacae 17 servit tibi gleba 16 Syenes 17,
Tondet & innumeros Gallica 18 Parma greges,

Hoc

1 Gravi morbo oppressus. 2 Parcas. 3 Stamina nigra indicium proximae mortis. 4 Exigua quadam mora. 5 Sc. inter amicos. 6 Multum vixisse, quod amicis suis tantum boni facere potuerat. 7 Vasis s. poculis Myrrhinis. 8 Vitrum pellucidum. 9 Diversam vini speciem. 10 Non ignotus. 11 Ob malam famam. 12 Frequenter. 13 Quam gloriam s. famam mors paucis dedit, hanc &c. 14 Tantas, quantae sunt opes Libertorum Imper. 15 Vid. Epigr. XLI. 16 Ampla s. valde extensa Praedia, 17 Syene est Vrbs Aegypti. A Nilo maximo Aegypti flumine dicitur hic *Niliaca* pro *Aegyptia*. 18 Vrbs Galliae Cisalpinae.

Hoc ego, tuque sumus; sed, quod 1 sum, non potes esse:
Tu quod 2 es, e populo quilibet esse potest.

LVI. *Thaidis & Lecaniae dentes irridet.*

40. Thais habet nigros, niveos Lecania dentes:
Quae ratio est? emptos 3 haec habet, illa suos.

LVII. *In Postumum passim commemorantem sua beneficia.*

41. Quae mihi praestiteris memini, semperque tenebo:
Cur igitur taceo, Postume; tu loqueris?
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat; Dixerat ipse mihi.
Non belle quaedam faciunt duo, sufficit unus
Huic operi; si vis ut loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Postume, dones,
Auctoris pereunt garrulitate sui.

LVIII. *In Marcum, qui mirabatur nullam tunc esse veram amicitiam.*

42. Quod non sit Pylades 4 hoc tempore, non sit Orestes 4
Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem 5.
Nec melior panis, turdusve dabatur Oresti:
Sed par, atque eadem coena duobus erat.
Tu Lucrina 6 voras, me pascit aquosa Peloris 7;
Non minus ingenua est & mihi, Marce, gula.
Te Cadmaea 8 Tyros, me pinguis Gallia vestit 9:
Vis te purpureum 10, Marce, sagatus 11 amem?

1 Sc. clarus Poeta. 2 Sc. dives. 3 Fictos nimirum ex ebore, quos emebant. 4 Celeberrimum amicorum par. 5 Sc. idem vinum, ac Orestes. 6 Ostrea, quae in lacu Lucrino. 7 Vile conchae genus. 8 Sc. Purpura advecta *Tyro* Vrbe Phoeniciae. Ex hac Cadmus in Gr[illegible]m venit, adeoque *Cadmaea* dicitur. 9 Rudiores, crassioresque *Gallici* panni. 10 Purpura vestitum. 11 *Sago* Gallico indutus.

Vt praestem [1] Pyladen, aliquis mihi praestet Orestem.
Hoc non fit verbis; Marce, ut ameris, ama [2].

LIX. *De formica succino inclusa.*

43. Dum Phaetontea [3] formica vagatur in umbra [4],
Implicuit tenuem succina gutta [5] feram:
Sic modo, quae fuerat vita contempta manente [6],
Funeribus facta est nunc pretiosa suis.

LX. *In Postumum ineptum caussidicum.*

44. Non de vi, neque caede, nec veneno
Sed lis est mihi de tribus capellis.
Vicini queror has abesse furto;
Hoc iudex sibi postulat probari.
Tu Cannas [7], Mithridaticumque [8] bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Sullas, Mariosque, Muciosque [9]
Magna voce sonas, manuque tota.
Iam dic, Postume, de tribus capellis.

LXI. *De Morte Othonis Imper.*

45. Quum dubitaret adhuc belli Civilis Enyo [10],
Forsitan & posset vincere mollis [11] Otho.
Damnavit multo staturum [13] sanguine Martem [12],
Et fodit certa [14] pectora nuda manu.

Sic

[1] Vt exhibeam personam Pyladis. [2] Re scilicet, atque operibus ostende amicitiam. [3] Sc. populea, in populos enim conversae Heliades Phaetontis sorores. [4] Al. legunt *in unda*. [5] Electrum. [6] *Manente vita*, sc. dum ipsi erat vita, s. vivebat. [7] Oppidum notissimum ob maximam cladem, qua Romani ab Hannibale profligati fuerunt. [8] Contra Mithridatem Ponti Regem. [9] Mutium Scaevolam, de quo Ep. XXIX. [10] *Bellona*, Dea Belli [11] Imbellis [12] Bellum. [13] In quo fundendum erat multum sanguinis. [14] Non dubia.

Sit Cato, dum vivit, sane vel Caesare maior;
Dum moritur, numquid 1 maior Othone fuit?

LXII. *Epitaphium Pantagathi tonsoris.*

46. Hoc iacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus, domini cura, dolorque sui.
Vix tangente 2 vagos ferro resecare capillos
Doctus, & hirsutas excoluisse 3 genas.
Sis licet, ut debes, Tellus, placata, levisque;
Artificis 4 levior non potes esse manu.

LXIII. *Ad Marianum, qui captatorem scripserat haeredem.*

47. Scis te captari 5; scis hunc, qui captat, avarum;
Et scis qui captat quid 6, Mariane, velit.
Tu tamen hunc tabulis 7 haeredem, stulte, supremis
Scribis; & esse 8 tuo vis, furiose 9, loco.
Munera magna tamen misit: sed misit in hamo;
Et piscatorem piscis amare potest?
Hiccine deflebit vero tua fata dolore?
Si cupis, ut plores; des, Mariane, nihil 10.

LXIV. *Ad Pontilianum Poetam ineptum.*

48. Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos 11.

LXV.

1 Vt censet Poeta: Cato se interfecit, ne serviret Caesari, Otho ne sui caussa multi Cives Romani in Civili bello perirent. 2 Ordo: doctus resecare capillos vagos, & radere genas hirsutas ferro vix tangente caput, & genas. 3 Sc. excolere. 4 Tonsoris 5 Sc. muneribus & officiis allici, ut scribas haeredem. 6 Mortem nempe, ac deinde bona tua. 7 Testamento. 8 Sc. ut hic sit tuo loco, idest tibi succedat. 9 O demens. 10 Spe enim sua fraudatus revera plorabit. 11 Quos nolo, quia mali sunt.

LXV. *De Fama reditus Domitiani.*

49. Ecquid [1], Hyperboreis ad nos conversus ab oris
Ausonias [3] Caesar iam parat [2] ire vias [3]?
Certus abest [4] auctor, sed vox hoc nunciat omnis.
Credo tibi; verum dicere, Fama, soles.
Publica victrices testantur gaudia chartae [5],
Martia laurigera cuspide pila virent.
Rursus, io [6], magnos clamat tibi Roma triumphos,
Invictusque tua, Caesar, in urbe sonas [7].
Sed iam laetitiae quo sit fiducia [8] maior,
Sarmaticae [9] laurus nuncius ipse veni.

LXVI. *De reditu Domitiani.*

50. Nunc hilares, siquando [10], mihi nunc ludite [11], Musae,
Victor ab Odrysio [12] redditur orbe Deus [13].
Certa facis populi tu primus vota, December:
Iam licet ingenti dicere voce, [14] venit.
Felix forte tua poteras non cedere Iano [15],
Gaudia si nobis, quae dabit ille, dares.
Festa coronatus [17] ludet [16] convicia miles [17],
Inter laurigeros quum comes ibit equos.
Fas audire iocos, levioraque [18] carmina, Caesar,
Sit tibi: si lusus ipse triumphus amat.

LXVII.

1 Numquid a septemtrionalibus regionibus. 2 Meditatur. 3 Vias Italiae, per quas Romam veniat. 4 Deest 5 Chartae s. Epistolae laureatae ad Senatum missae. 6 Vox plaudentium in triumpho. 7 Praedicaris, celebraris. 8 Securitas. 9 Victoriae de Sarmatis relatae. 10 Id. siquando cecinistis. 11 Canite. 12 Thracio orbe id. Thracia. 13 Caesar. 14 Scil. venit in urbem Imperator. 15 Ianuario. 16 Canet: milites enim in Imperatorem triumphantem convicia rudibus versibus expressa dicere solebant. 17 Coronabantur milites lauro in pompa triumphi. 18 Nostra scil. carmina ad risum movendum facta.

LXVII. *Ad Cinnam vel cito dandum, vel cito negandum esse.*

51. Primum est ut praestes 1, siquid te, Cinna, rogabo;
Illud deinde 2 sequens, ut cito, Cinna, neges.
Diligo praestantem; non odi, Cinna, negantem;
Sed tu nec praestas, nec cito, Cinna, negas.

LXVIII. *De Eutrapelo, tonsore lento.*

52. Eutrapelus tonsor dum circuit 3 ora Luperci,
Expingitque 4 genas, altera barba subit 5.

LXIX. *In crudelem amicum.*

53. Pallida ne Cilicum 6 timeant pomaria brumam,
Mordeat & tenerum 7 fortior aura nemus 7:
Hibernis obiecta Notis specularia 8 puros
Admittunt soles, & sine faece 9 diem.
At mihi cella datur non tota clausa fenestra,
In qua nec Boreas ipse manere velit.
Sic habitare iubes veterem, crudelis, amicum?
Arboris ergo tuae tutior hospes ero.

LXX. *Ad Domitianum de laurea, quam Iovi Capitolino ex bello Sarmatico retulit.*

54. Dum nova Pannonici narratur gloria belli,
Omnis & ad 10 reducem dum litat ara Iovem:
Dat

1 Des: 2 Illud deinde consequitur, ut &c. 3 A circum eo. 4 Scite radit. 5 Tantum temporis insumit, ut nova barba prodeat. 6 Id. Arbores e Cilicia advectae. 7 Teneros surculos harum arborum. 8 Lapides pellucidi fere ad instar vitri. 9 Sine vento, pluvia, frigore. 10 Ob *Iovem reducem* sc. quia *Domitianus* rediit; sive litat Iovi, qui victorem *reduxit* Domitianum.

Dat Populus, dat gratus eques, dat thura Senatus,
Et ditant Latias tertia [1] dona tribus;
Hos quoque secretos [2] memorabit Roma triumphos,
Nec minor ista tuae laurea [3] pacis erit.
Quid tibi de sancta credis pietate tuorum?
Principis est virtus maxima, nosse suos.

LXXI. *Petit a Domitiano pecuniam.*

55. Siquid forte petam timido, gracilique [4] libello,
Improba [5] non fuerit si mea charta, dato.
Et si non dederis, Caesar, permitte [6] rogari:
Offendunt nunquam thura, precesque Iovem.
Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus
Non facit ille Deos; qui rogat, ille facit [7].

LXXII. *De Athenagora, qui Saturnalibus nihil ad Poetam misit.*

56. Tristis Athenagoras non misit munera nobis,
Quae medio [8] brumae mittere mense solet.
An sit Athenagoras tristis, Faustine, videbo;
Me certe tristem [9] fecit Athenagoras.

LXXIII. *Domitianum laudat, quod levioribus etiam Poetis faveret.*

57. Dante tibi turba querulos [10], Auguste, libellos,
Nos quoque qui domino carmina parva damus,
Posse

1 Tertium donum ditat Tribus Romanas: Domitianus enim bis antea Populo Rom. dona dederat, quum nempe de Dacis, & quum de Cattis triumpharet. 2 Victis Pannoniis lauream tantummodo Iovi retulit, adeoque secretum, non verum triumphum egit. 3 Haec laurea pacis a te comparatae non erit minor triumphis. 4 Exiguo, tenui. 5 Impudens. nimis audax. 6 Sine ut te rogem. 7 Eos enim Deos vere credit. 8 Mense Decembri. 9 Quia spe frustratus nihil accepi. 10 Libellos supplices, in quibus querimur de infortuniis &c.

Posse Deum [1] rebus [2] pariter, Musisque vacare
Scimus, & haec etiam serta placere tibi.
Per vates, Auguste, tuos; nos gloria dulcis [3];
Nos tua cura prior, deliciaeque [3] sumus.
Non quercus [4] te sola decet, nec laurea [5] Phoebi;
Fiat & ex edera [5] civica [6] nostra tibi.

LXXIV. *In Amicum Coenipetam*.

58. Hunc, quem coena tibi, quem mensa paravit [7] amicum,
Esse putas fidae pectus amicitiae?
Aprum amat, & mullos, & sumen, & ostrea; non te.
Tam bene si coenem, noster amicus erit.

LXXV. *In Gellium fingentem se aliquid semper aedificare, ut nihil amicis donaret*.

59. Gellius aedificat [8] semper: modo limina ponit,
Nunc foribus claves aptat, emitque seras:
Nunc has, nunc illas mutat, reficitque fenestras,
Dum [9] tamen aedificet, quidlibet ille facit;
Oranti nummos, ut dicere possit amico [10]
Vnum illud verbum Gellius: Aedifico [11].

LXXVI. *In Caecilianum improbum*.

60. Dixerat, o mores, o tempora, Tullius olim,
Sacrilegum [12] strueret quum Catilina nefas:
Quum

1 Imperat. Domitianum. 2 Imperii administrationi s. regimini. 3 Poesim enim amas. 4 Corona ex quercus foliis ob cives servatos dabatur. 5 Corona ex lauro ob devictos hostes. 6 Edera enim est doctorum hominum praemium.
6 *Civica*, quia facta tibi a nobis *Civibus* a te beneficio affectis. 7 Conciliavit. 8 Aliquid semper reficit, ut aedificare videatur. 9 Sc. dummodo; alii legunt *dum tantum*. 10 Sc. petenti nummos 11 Ut appareat, eum nummos dare non posse. 12 Molitetur scelus sacrilegum sc. bellum contra Patriam.

Quum gener 1, atque socer 1 diris concurreret armis,
Maestaque civili caede maderet humus.
Cur nunc, o mores, cur nunc, o tempora, dicis?
Quod tibi non placeat, Caeciliane, quid est?
Nulla ducum feritas, nulla est insania ferri,
Pace frui certa, laetitiaque licet.
Non nostri faciunt tua quod tibi tempora sordent;
Sed faciunt mores, Caeciliane, tui.

LXXVII. *Ad Liberum amicum, a quo cibos sine vino acceperat.*

61. Liber Amyclaea 2 frontem redimite corona,
Qui quatis Ausonia 3 verbera Graia 4 manu.
Clausa mihi texto quum prandia vimine 5 mittas,
Cur comitata dapes nulla lagena venit?
Atqui digna tuo si nomine 6 munera ferres,
Scis, puto, debuerint quae mihi dona 7 dari.

LXXVIII. *Ad Rufum.*

62. Dum me captares 8 mittebas munera nobis:
Postquam cepisti, das mihi, Rufe, nihil.
Vt captum teneas, capto quoque munera mitte,
De caveis fugiat 9 ne male pastus aper.

LXXIX.

1 Pompeius, cuius uxor Iulia Fil. Caesaris. 2 Corona in pugilatu relata dicitur *Amyclaea* ab Amycla urbe Laconiae, ex qua regione fuit Pollux Pugilatus auctor s. institutor.
3 Quum sis Italus. 4 In certamine Graecorum proprio te exerces. 5 Canistro vimineo. 6 Huic nomen erat *Liber* quod ipsum est Bacchi nomen. 7 Vina scilicet, quae sunt dona Bacchi. 8 Dum me alliceres, ut amicus tibi fierem, vel haeredem te scriberem. 9 Comparat se Apro, scil. ferae cavea s. septo inclusae, quae si fame laboret, fugere tentat.

LXXIX. *De Marco Antonio Primo.*

63. Iam numerat placido 1 felix Antonius aevo
Quindecies 2 actas Primus Olympiadas:
Praeteritosque dies, & tutos 3 respicit annos,
Nec metuit Lethes 4 iam propioris aquas.
Nulla recordanti lux est ingrata, gravisque;
Nulla fuit, cuius non meminisse velit.
Ampliat aetatis spatium sibi vir bonus: hoc est
Vivere bis, vita posse priore frui 5.

LXXX. *De eodem.*

64. Haec, mihi quae colitur violis, pictura, rosisque,
Quos referat vultus, Caeciliane, rogas.
Talis erat Marcus mediis 6 Antonius 7 annis
Primus; in hoc 8 iuvenem se videt ore senex.
Ars utinam mores, animumque effingere posset
Pulchrior in terris nulla tabella foret.

LXXXI. *De Ladonte nauta.*

65. Iam senior Ladon Tiberinae 9 nauta carinae
Proxima 10 dilectis rura paravit 11 aquis.
Quae quum saepe vagus 12 premeret torrentibus undis
Tibris, & hiberno rumperet arva lacu;
Emeritam 13 puppim, ripa quae stabat in alta,
Implevit saxis, opposuitque 14 vadis.

Sic

1 Vita tranquilla. 2 Quindecim Olympiades sunt anni 60. Olympias enim quatuor annos continet. 3 In quos nullum amplius est fortunae ius, aut imperium. 4 Sc. mortem iam imminentem. 5 Capere voluptatem ex recordatione vitae probe actae. 6 Florente aetate. 7 Marcus Antonius Primus. 8 In hac picta imagine. 9 Quae in Tiberi solum navigabat. 10 Prope aquas ipsi caras. 11 Sibi comparavit. 12 Exundans. 13 Quae otiosa manebat. 14 Vndis.

Sic nimias avertit aquas: quis credere poſſet?
Auxilium 1 domino merſa carina tulit.

LXXXII. *Hiſpanos agros Romanis eſſe anteponendos.*

66. Saepe loquar 2 gentes nimium quod, Avite, remotas
Miraris, Latia factus in urbe ſenex 3.
Auriferumque Tagum ſitiam, patriumque Salonem,
Et repetam ſaturae 4 ſordida rura caſae.
Illa placet tellus, in qua res parva beatum
Me facit, & tenues luxuriantur opes.
Paſcitur 5 hic, ibi paſcit ager; tepet igne maligno 6
Hic focus, ingenti lumine lucet ibi.
Hic pretioſa 7 fames, conturbatorque 8 macellus,
Menſa ibi divitiis ruris operta ſui.
Quattuor hic aeſtate togae, pluresve teruntur;
Autumnis ibi me quattuor una tegit.
I, cole nunc reges 9: quidquid non praeſtat amicus 10
Quum praeſtare tibi poſſit, Avite, locus.

LXXXIII. *In laudem Nervae Traiani.*

67. Tanta tibi eſt recti reverentia 11, Caeſar, & aequi
Quanta Numae 12 fuerat; ſed Numa pauper erat.
Ardua res haec eſt, opibus non tradere 13 mores,
Et, quum tot Croeſos 14 viceris, eſſe Numam.

Si

1 Quum alias navis, quae mergitur aut mortem, aut ſaltem grave damnum domino, & nautae afferre ſoleat. 2 Commemorem. 3 Ego factus ſenex Romae. 4 Ob fertilitatem regionis. 5 Cultura, ſtercoratione &c. 6 Qu a emuntur ligna. 7 Caro enim pretio emuntur cibi, licet pauci adeo ſint, ut ad expellendam famem non ſufficiant. 8 Ob magnas impenſas ad ca nem emendam *conturbantur* Rei domeſticae rationes. 9 Principes, aut potentes viros. 10 Amicus ſc. potens, & dives. 11 Ita *revereris* ſ. colis iuſtitiam, & aequitatem. 12 Numa ſecundus Romanorum Rex, vir integerrimus. 13 Non permittere, ut mores ducantur ſ. corrumpantur a divitiis. 14 Croeſus ditiſſimus Lydorum Rex.

Si redeant veteres, ingentia numina, Patres;
 Elysium liceat si vacuare [1] nemus:
Te volet invidus pro libertate Camillus [2];
 Aurum Fabricius, te tribuente, volet.
Te duce [3] gaudebit Brutus, tibi Sylla [4] cruentus
 Imperium tradet, quum positurus erit.
Et te privato [5] cum Caesare Magnus [6] amabit,
 Donabit totas & tibi Crassus [7] opes.
Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris
 Si Cato reddatur, Caesarianus [8] erit.

LXXXIV. *Tenebricosam Apri domum irridet.*

68. Aedes emit Aper, sed quas nec noctua [9] vellet
 Esse suas; adeo nigra, vetusque casa est.
Vicinos illic nitidus Maro possidet hortos,
 Coenabit [10] belle, non habitabit, Aper.

LXXXV. *In Caecilianum.*

69. Vivida quum poscas Epigrammata, mortua ponis
 Lemmata [11]: quid fieri, Caeciliane, potest?
Mella iubes Hyblaea [12] tibi, vel Hymettia [13] nasci;
 Et thyma [15] Cecropiae [14] Corsica [15] ponis api?

1 Vacuos quodammodo efficere Elysios campos in vitam revocando insignes Romanos viros. 2 Ut pateat tibi patria potius, quam libera sit. 3 Qui Reges expulit; aut alter qui Iulium Caesarem interfecit. 4 Sylla Dictator in Cives Marianae factionis crudelissimus. 5 Iulio Caesare iam non Principe, sed privato homine. 6 Pompeius Magnus. 7 Ditissimus Romanus Civis. 8 Addictus erit tibi Imperatori, atque ita evadet tibi *Caesari* amicus, qui Iulio Caesari infensissimus fuit. 9 Quamvis haec avis tenebris gaudeat. 10 Apud Maronem. 11 Argumenta, Themata. 12 Optima qualia in *Hybla* Siciliae Monte. 13 Vel in *Hymetto* Monte Atticae. 14 Sc. Atticae a *Cecrope* Athen. Rege. 15 Amara, qualia sunt in Corsica.

LXXXVI. *In Parthenopaeum.*

70. Leniat ut fauces Medicus, quas aspera vexat
Assidue tussis, Parthenopaee, tibi:
Mella dari, nucleosque iubet, dulcesque placentas,
Et quidquid pueros non finit esse [1] truces.
At tu non cessas totis tussire diebus:
Non est haec tussis, Parthenopaee; gula est [2].

LXXXVII. *In Zoilum hominem nequam.*

71. Mentitur qui te vitiosum, Zoile, dicit:
Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium.

LXXXVIII. *De Theodoro malo Poeta.*

72. Pierios [3] vatis Theodori flamma Penates
Abstulit. Hoc Musis; hoc tibi, Phoebe, placet?
O scelus, o magnum facinus, crimenque Deorum;
Non arsit pariter [4] quod domus, & dominus.

LXXXIX. *In commendationem Nervae Imperat.*

73. Contigit Ausoniae Procerum [5] mitissimus aulae
Nerva, licet toto [6] nunc Helicone frui.
Recta fides, hilaris clementia, cauta potestas
Iam redeunt; longi [7] terga dedere metus.
Hoc populi, gentesque tuae, pia Roma, precantur,
Dux tibi sit semper talis, & iste diu.

Macte

1 Ea quibus pueri truces mitescunt. f. lugentes placantur. 2 Tussis, ut accipias bellaria. 3 *Pieria* dicitur domus Theodori Poetae, quasi dedicata fuerit Musis, quae *Pierides* appellantur 4 Simul f. eodem modo. 5 Mitissimus inter omnes Proceres. 6 Sc. omnino frui Helicone, sive omnino Musis vacare. 7 Quibus diu Romani perturbati fuerant.

Macte animi 1, quem rarus 2 habet, morumque 2 tuorum,
Quos Numa, quos hilaris possit habere Cato.
Largiri, praestare, breves extendere census,
Et dare, quae faciles vix tribuere Dei,
Nunc licet, & 3 fas est: sed tu sub Principe duro,
Temporibusque malis ausus es esse bonus.

XC. *In commendationem Traiani Imperat.*

74. Terrarum Dea, gentiumque, Roma;
Cui par est nihil, & nihil 4 secundum,
Traiani modo laeta quum futuros
Tot per saecula computaret annos:
Et fortem, iuvenemque, Martiumque 5
In tanto duce militem videret,
Dixit praeside gloriosa tali:
Parthorum proceres, ducesque Serum,
Thraces, Sauromatae, Getae, Britanni,
Possum ostendere Caesarem, venite.

XCI. *Ad Caesarem de tranquillitate Hispaniae.*

75. Palma 6 regit nostros, mitissime Caesar, Iberos,
Et placido fruitur pax peregrina 7 iugo.
Ergo agimus laeti tanto pro munere grates;
Misisti mores in loca nostra tuos 8.

1 Sc. felix sis ob animum, & mores tuos. 2 Sc. pauci habent. 3 Scil. tibi, qui etiam sub malo Principe &c. 4 Nihil proximum; omnia enim Roma inferiora erant, sive distabant longo intervallo. 5 Bellicosum. 6 A. Cornelius Palma vir Consularis. 7 Quae in hac regione domicilium habere non consuevit. Sensus est: hic portamus placidum iugum tui regiminis in pace, quod in hac regione contingere non solet. 8 Sc. hominem imitatorem morum tuorum.

XCII. *In Postumum, qui ebrius quidlibet promittebat.*

76. Omnia promittis quum tota nocte bibisti,
Mane nihil 1 praestas; Postume, mane bibe 2.

XCIII. *De Africano avaro.*

77. Habet Africanus millies 3; tamen captat 4,
Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

XCIV. *Lentini febricitantis luxum irridet.*

78. Quare tam multis a te, Lentine, diebus
Non abeat febris quaeris, & usque 5 gemis.
Gestatur tecum sella, pariterque 6 lavatur:
Coenat boletos, ostrea, sumen, aprum:
Ebria Setino 7 fit saepe, & saepe Falerno 7,
Nec nisi post niveam Caecuba 8 potat aquam.
Circumfusa rosis, & nigra 9 recumbit amomo,
Dormit & in pluma, purpureoque toro,
Quum sic tam pulchre, tam belle vivat apud te;
Ad Dammam 10 potius vis tua febris eat?

XCV. *De Hortis Marcellae uxoris.*

79. Hoc nemus, hi fontes, haec textilis umbra 11 supini 12
Palmitis, hoc riguae 13 ductile 14 flumen aquae:
Pra-

1 Dormiens enim oblivisceris promissorum. 2 Ita enim praestabis antequam dormiens obliviscaris. 3 Id. millies centena sestertium millia. 4 Quaerit, studet, conatur alia acquirere. 5 Semper conquereris. 6 In Balneo. 7 Vtrumque est generosum vinum. 8 Ordo: *nec potat* sc. bibit *Caecuba* optima vina, *nisi post aquam niveam* sc. nive refrigeratam. 9 Vncta nigro amomo, quo scilicet ungeris dum febri laboras. 10 Nomen servi cuiusdam, s. inopis, atque infelicis hominis. 11 Palmites cum ramis, & foliis arborum contexti, ut umbram densiorem faciant. 12 Super lignis & ramis ita fere iacent, ut homo supinus in terra iacet. 13 Ad irrigandos hortos. 14 Aquaeductus.

Prataque, nec bifero [1] cessura rosaria Paesto [2]:
Quodque viret Iani [3] mense, nec alget, olus:
Quaeque natat clausis anguilla domestica lymphis [4],
Quaeque gerit similes [5] candida turris aves.
Munera sunt dominae [6]: post septima lustra [7] reverso,
Has Marcella domos, parvaque regna dedit.
Si mihi Nausicae [8] patrios concederet hortos,
Alcinoo [9] possem dicere, malo meos.

XCVI. *In Thelesinum avarum.*

80. Quum rogo te numinos sine pignore: non habeo, inquis.
Idem [10], si pro me spondet agellus, habes.
Quod mihi non [11] credis veteri, Thelesine, sodali,
Credis colliculis [12], arboribusque meis:
Ecce reum Carus [13] te detulit; adsit [14] agellus.
Exilii comitem quaeris? Agellus eat [15].

XCVII. *In habentem amoenas, at non commodas aedes.*

81. Daphnonas [16], platanonas [17], & aerias cyparissos,
Et non [18] unius balnea solus habes:
Et tibi centenis stat porticus alta columnis,
Calcatusque tuo sub pede lucet onyx [19];

1 Quod rosas fert, sive producit bis in anno. 2 Paestum Vrbs Lucaniae celeberrima ob rosas bis in anno florentes. 3 Ianuario. 4 Piscina. 5 Candidas, ut *candida* est turris. 6 Vxoris. 7 Scil post annos triginta quinque; lustrum enim est quinquennium. 8 Filia Regis Phaeacum, de qua Homerus in Odys. ubi pulcherrimi eius horti describuntur. 9 Alcinous Rex Pater Nausicaes 10 Tu ipse. 11 Sc. id quod non praestas, non concedis mihi. 12 Exiguis collibus 13 Accusator. 14 Opem tibi ferat. 15 Id. veniat s. tecum proficiscatur. 16 Loca lauris. 17 Et platanis consita. 18 Tam ampla ut non privata, sed publica videantur. 19 Pavimentum ex alabastrite marmore.

Pulvereumque fugax hippodromon [1] ungula plaudit [2],
Et pereuntis [3] aquae fluctus ubique sonat.
Atria longa patent; sed non coenantibus usquam,
Nec somno locus est; quam bene [4] non habitas!

XCVIII. *In Zoilum, quem a deformitate improbum iudicat.*

82. Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine [5] laesus:
Rem magnam praestas, Zoile, si bonus es.

XCIX. *Ad Polycarmum saepius fingentem morbum.*

83. Aegrotas uno decies, aut saepius anno:
Nec tibi, sed nobis hoc, Polycarme, nocet.
Nam quoties surgis [6], soteria [7] poscis amicos.
Sit pudor: aegrota iam, Polycarme, semel [8].

C. *In Tuccam aemulum omnium studiorum Martialis.*

84. Scribebamus epos [9], coepisti scribere; cessi,
Aemula ne starent carmina nostra tuis.
Transtulit ad Tragicos se nostra Thalia cothurnos [10];
Aptasti longum tu quoque syrma [11] tibi.

Fi-

1 Stadium s. locus in quo currunt equi. 2 Fugiendo sc. currendo percutit. 3 Cadentis, effluentis. 4 Sc. cum quanto splendore male habitas. 5 Sc altero oculo. 6 Convalescis. 7 Dona, quae pro salute ab ipsis recuperata, amicis mittebantur. 8 Semel in anno, ut primo intuitu apparet; revera tamen *aegrota* semel, mortali nempe infirmitate, ex qua moriaris, ne amplius Soteria poscere possis. 9 Carmen Epicum s Heroicum. 10 Cothurnis utebantur Tragoedi, adeoque Tragoediam vocat *Tragicos cothurnos*. 11 Vestis Heroum in Tragoediis.

Fila lyrae [1] movi doctis exculta Camoenis,
 Plectra [2] rapis nobis ambitione nova.
Audemus Satyras, Lucilius [3] esse laboras.
 Ludo [4] leves Elegos, tu quoque ludis idem.
Quid minus esse potest? Epigrammata fingere coepi:
 Hinc etiam petitur iam mea fama tibi.
Elige quid nolis: quis enim est pudor, omnia velle?
 Et si quid non vis, Tucca, relinque mihi.

1 Ad lyram canebant Carmina Melica, *Lyrica* etiam hac de caussa dicta id. Odas, Hymnos. 2 Quibus lyra percutitur. 3 Celeberrimus apud Romanos Satyrarum scriptor. 4 Canto.

SELECTORVM EPIGRAMMATVM

CENTVRIA II.

D. Magni Ausonii.

I. *Danubius alloquitur Augustos Valentinianum, & Gratianum.*

1. ILlyricis regnator aquis, tibi, Nile, secundus,
Danubius [1] laetum profero fonte caput.
Salvere Augustos iubeo, natumque [2], patremque [3],
Armiferis alui quos ego Pannoniis.
Nuncius Euxino [4] iam nunc volo currere Ponto,
Vt sciat hoc, Superum cura secunda [5], Valens:
Caede, fuga, flammis stratos periisse Suevos;
Nec Rhenum Gallis limitis esse loco.
Quod si lege [6] maris refluus mihi curreret amnis,
Huc [7] possem victos inde [8] referre Gothos.

II.

1 Ordo: Ego *Danubius regnator* in *aquis Illyricis*, & *secundus* post *te*, o *Nile*, *profero* s. erigo *caput laetum* e meo *fonte* s. scaturigine. 2 Gratianum. 3 Valentinianum. 4 Syntaxis Poet. pro *ad Pontum Euxinum*. 5 Valens frater Valentiniani, de quo post Valentinianum Dii solliciti esse maxime debebant. 6 Id. Si maris modo haberem refluxum. 7 In Sveviam, ubi est scaturigo Danubii. 8 Sc. ex locis proximis Ponto Euxino.

II. *Eosdem Augustos alloquitur.*

2. Danubius penitis 1 caput occultatus in oris
Totus sub vestra iam ditione fluo.
Qua gelidum fontem mediis effundo Suevis,
Imperiis 2 gravidas qua seco Pannonias:
Et qua dives aquis Scythico 3 solvo 4 ostia ponto,
Omnia sub vestrum flumina mitto iugum.
Augusto dabitur sed proxima palma Valenti;
Inveniet fontes 5 hic quoque, Nile, tuos.

III. *Exhortatio ad modestiam.*

3. Fama est fictilibus 6 coenasse Agathoclea 7 Regem,
Atque abacum 8 Samio saepe onerasse luto.
Fercula gemmatis quum poneret horrida 9 vasis,
Et misceret opes, pauperiemque simul,
Qaerenti caussam respondit: Rex ego qui sum
Sicaniae 10, figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter 11 habe, quicumque repente
Dives ab exili 12 progrediere loco.

IV. *Echo ad Pictorem.*

4. Vane 13, quid affectas 14 faciem mihi ponere, pictor,
Ignotamque oculis sollicitare 15 Deam?
Ae-

1 Intimis, reconditis; in quas Romani penetrare numquam potuerant, in medio Svevorum. 2 Quae multos Imperatores pepererunt. 3 Ponto Euxino, quia prope ipsum Scythia. 4 Aperio, exonero mea ostia in Pontum.
5 Fontes Nili ea aetate adhuc ignoti Romanis erant.
6 Vasis testaceis. 7 Pro *Agathoclem*: Accus. Graec. ἀγαθόκλεα s. ἀγαθόκλη. 8 Mensam onerasse, sive mensae imposuisse vasa fictilia *ex luto* s. terra Samia. 9 Agrestia, vilia. 10 Siciliae. 11 *Reverere*, s. modeste fer. 12 Sc. ex humili conditione. 13 Demens imprudens. 14 Conaris faciem mihi fingere. 15 Tentare an pingi possim ego Dea, quae sub oculos non cado.

Aeris, & linguae ſum filia, mater inanis 1
Indicii, vocem quae ſine mente 2 gero.
Extremos pereunte 3 modos a fine reducens,
Ludificata 4 ſequor verba aliena meis 5.
Auribus in veſtris habito penetrabilis 6 Echo,
Et ſi vis ſimilem pingere, pinge ſonum.

V. *De Matre Spartana.*

5. Mater Lacaena 7 clypeo obarmans filium:
Cum hoc 8, inquit; aut in hoc 9 redi 10.

VI. *Ad Philomuſum Grammaticum.*

6. Emptis quod libris tibi bibliotheca referta eſt,
Doctum, & grammaticum te, Philomuſe, putas?
Hoc 11 genere & chordas, & plectra, & barbita conde 12.
Omnia mercatus 13 cras citharoedus eris.

VII. *De Rufo Rhetore.*

7. Rufus vocatus Rhetor olim ad nuptias
Celebri, fit ut, convivio,
Grammaticae ut artis ſe peritum oſtenderet,
Haec vota 14 dixit nuptiis.

Et

1 Falſe enim indicat perſonam aliquam loquentem, & locum ex quo vox proficiſcitur.
2 Sine intellectu, & cogitatione. 3 Ordo: *reducens modos extremos a fine pereunte*, ideſt retractans, iterum pronuncians ultimas ſyllabas, quibus in fine *perit* ſcil. terminatur, clauditur vox aliqua. 4 Decipiens 5 Suppl vocibus ſ. ſonis. 6 Quae penetrat ſ. permeat quaſcumque in partes. 7 Spartana. Maſc *Λάκων Laco*. fem. *Λάκαινα lacaena*. 8 Hoc clypeo tectus, ſ. hunc geſtans. 9 Se- *ſuper hoc* extenſus; ita enim efferebantur Spartani in bello mortui. 10 Dummodo non redeas vivus abiecto clypeo: quod turpiſſimum eſſet. 11 Hoc modo, hac ratione.
12 Reconde apud te, ſ. compara tibi. 13 Quum haec emeris. 14 Haec vota fecit pro illis nuptiis, ſ. Connubio.

Et masculini 1, & feminini 2 gignite,
Generisque neutri 3 filios.

VIII. *De Tabula, in qua erat picta imago Rufi.*

8. Haec Rufi tabula 4 est, nil verius. Ipse ubi Rufus?
In cathedra. Quid agit? Hoc, quod 5 & in tabula.

IX. *De eiusdem Rufi statua marmorea.*

9. Rhetoris haec Rufi statua est. Si saxea, Rufi,
Cur id ais? semper saxeus 6 ipse fuit.

X. *In buculam aeream Myronis.*

10. Aerea 7 mugitum poterat dare Vacca Myronis:
Sed timet Artificis deterere 8 ingenium.
Fingere nam similem vivae, quam vivere, plus est;
Nec sunt facta Dei mira, sed artificis.

XI. *In Eunomum Medicum.*

11. Languentem Caium moriturum dixerat olim
Eunomus; evasit 9 fati ope, non Medici.
Paullo post ipsum videt, aut vidisse putavit
Pallentem, & multa 10 mortis in effigie.
Quis tu 12? Caius 11, ait. Vivisne 12? hic abnuit. At quid
Nunc agis 12 hic? missu Ditis, ait 13, venio.

Vt

1 Mares. 2 Feminas. 3 Ridiculus, imo pessimus Augur fuit, dum peritus Grammaticus videri voluit. *Neutri* antiq. pro *neutrius*. 4 Sc imago in tabula depicta. 5 Silet, tacet, quamquam Rhetor sit. 6 Stupidus nempe, & elinguis quasi esset saxeus. 7 Ex aere conflata. 8 Imminuere famam, laudem, pretium. 9 Effugit mortem, convaluit. 10 Sc. valde similem mortuo. 11 Ita respondet umbra Caii. 12 Interrogat Eunomus. 13 Respondet Caius.

Vt, quia notitiam rerumque, hominumque tenerem,
Accirem medicos. Eunomus obriguit 1.
Tum Caius: metuas nihil Eunome. dico ego, & omnes,
Nullum qui saperet, dicere te medicum.

XII. *Benefacta cito facienda esse.*

12. Si bene quid facias, facias cito. nam cito factum
Gratum erit. Ingratum gratia tarda facit.

XIII. *De Grammatico cui nomen Auxilius.*

13. Emendata potest quaenam vox esse Magistri,
Nomen qui proprium cum vitio 2 loquitur?

XIV. *In Furippum.*

14. Pars te Furippum vocitat, pars vero Furippum,
Altera producens 3, altera corripiens 3.
Elige utrum malis: aut tende, aut corripe nomen 4.
Conveniet quodvis, fur furiose, tibi.

XV. *Alloquitur Professores Burdigalenses iam mortuos.*

15. Valete, manes 5 inclytorum Rhetorum,
Valete, doctores probi.
Historia si quos, vel poeticus stilus,
Forumve fecit nobiles:
Medicae 6 vel artis, dogma vel Platonicum 6
Dedit 7 perenni gloriae.

Et

1 Prae timore ne raperetur ad Inferos, Plutonem curaturus. 2 Vera enim Latina vox, emendata, & sine vitio est *Auxilium*. 3 Syllabam *fu*. 4 Sc. nomen furis *u* producto, & *furiosi u* correpto. 5 Animae corporibus solutae. 6 Dogma artis Medicae, vel Philosophiae Platonicae. 7 Cumulavit perpetua laude.

Et siqua cunctis cura [1] viventum placet;
Iuvatque honor [2] superstitum:
Accipite moestum carminis cultum mei
Textum querela flebili.
Sedem sepulcris servet immotus cinis.
Memoria vivat nominum:
Dum [3] remeat illud iudicis dono Dei
Commune cum Dis saeculum.

XVI. *Epitaphium Nestoris.*

16. Hoc tegor in tumulo quarti [4] iam prodigus aevi
Nestor, consilio clarus, & eloquio,
Obiecit se se cuius pro morte [5] peremptus
Filius: & nati vulnere [6] vivo pater.
Eheu! cur fatis disponere sic placet aevum;
Tam longum, ut nobis; tam breve ut Antilocho?

XVII. *Epitaphium Didonis.*

17. Infelix Dido, nulli [7] bene nupta marito:
Hoc pereunte [8] fugis [9], hoc fugiente [10] peris [11].

XVIII. *In tumulo hominis felicis.*

18. Sparge mero cineres [12], bene olentis & unguine [13] Nardi,
Hospes, & adde [14] rosis balsama puniceis.
Per-

1 Si cunctis mortuis placet quod eorum curam aliquam habeant viventes. 2 Eosque honore prosequantur ii, qui post ipsos vivunt s in vita manent. 3 Donec veniat. 4 Sc. qui nolui vivere quartam aetatem, sive tricennium. Nestor enim ut videtur paullo post 90. annum mori voluit. 5 Sc. ad arcendam, s. avertendam mortem patris. 6 Propter vulnus, & mortem filii vivus superfui ego pater. 7 Neutri. 8 Sichaeo. 9 In Africam timens Pygmalionem. 10 Aenea. 11 Te ense interficis. 12 Meos cineres. 13 Vnguento. 14 Iunge.

Perpetuum mihi ver 1 agit illacrimabilis 2 urna,
Et commutavi 3 saecula, non obii.
Nulla mihi veteris perierunt gaudia vitae:
Seu meminisse putes omnia, sive nihil.

Cl. Claudiani.

XIX. *De Sene Veronensi, qui suburbio numquam egressus est.*

1. Felix qui patriis aevum transegit in agris!
Ipsa domus puerum vidit, & ipsa senem.
Qui baculo 4 nitens, in qua reptavit arena,
Vnius numerat saecula longa casae.
Illum non vario traxit 5 fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis 6 hospes aquas.
Non freta mercator tremuit 7, non classica miles,
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis 8 rerum, vicinae nescius urbis
Adspectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non Consule 9, computat annum;
Autumnum pomis, ver sibi flore notat.
Idem condit 10 ager soles, idemque 11 reducit,
Metiturque suo rusticus orbe diem
Ingentem meminit parvo qui germine 12 quercum,
Aequaevumque 13 videt consenuisse nemus.
Proxima cui nigris 14 Verona remotior Indis,
Benacumque putat littora 15 rubra lacum.

Sed

1 Gaudeo perpetuo vere, s. optima tempestate. 2 Non luctuosa. 3 Permutavi vitam. 4 Qui incedens innixus baculo in ea arena, in qua reptavit infans. 5 Agitavit, distraxit. 6 Peregrinator vagus. 7 Tremens timuit. 8 Ignarus, nescius 9 Romani annos signabant nomine Consulum Ordinariorum. 10 Solem occidentem. 11 Orientem solem. 12 E parvo germine prodiisse s. crevisse. 13 Supple: sibi. 14 Aethiopibus. 15 Sinum Arabicum s. Mare Erythraeum.

Sed tamen indomitas vires, firmiſque lacertis
Aetas robuſtum tertia cernit [1] avum.
Erret, & extremos alter ſcrutetur Iberos;
Plus habet hic vitae, plus habet ille viae.

XX. *De Cryſtallo cui aqua inerat.*

2. Poſſedit [2] glacies naturae ſigna prioris [3],
Et fit parte lapis [4], frigora parte negat [5].
Sollers luſit hiems, imperfectoque rigore
Nobilior, vivis gemma tumeſcit [6] aquis.

XXI. *De eadem Cryſtallo.*

3. Lymphae [7], quae tegitis cognato [8] corpore lymphas,
Et quae nunc eſtis, quaeque fuiſtis aquae.
Quod vos ingenium vinxit, qua frigoris arte
Torpuit [9], & maduit prodigioſa [10] ſilex?
Quis tepor incluſus ſecuras [11] vindicat undas?
Interior glacies quo liquefacta Noto?
Gemma quibus clauſtris arcano mobilis aeſtu
Vel concreta fuit, vel reſoluta gelu?

XXII. *De eadem Cryſtallo.*

4. Solibus indomitum [12] glacies alpina rigorem
Sumebat, nimio iam pretioſa gelu.
Nec potuit toto mentiri corpore gemmam [13],
Sed medio manſit proditor [14] orbe latex.

Auctus

1 Tertia aetas ſc. tertia generatio, ideſt Nepotes. 2 Scil. *poſſidet*, hoc eſt retinet, conſervat. 3 Aquae. 4 Cryſtallus. 5 Indicat ſe frigoris ſ gelu vi obnoxiam non eſſe. 6 Turget. 7 Aquae. 8 Eiuſdem naturae. 9 Induruit. 10 Prodigio ſimilis. 11 Defendit a gelu. 12 Quem ſol vincere ſ ſuperare calore ſuo non poſſet. 13 Sc. tota fieri non potuit Cryſtallus. 14 Pars liquida, quae proderet ſ. indicaret corpus illud ex aqua eſſe.

Auctus honos; liquidi 1 crescunt miracula saxi;
Et conservatae plus meruistis, aquae.

XXIII. *In Sphaeram vitream Archimedis.*

5. Iuppiter in parvo 2 quum cerneret aethera 3 vitro,
Risit, & ad Superos talia dicta dedit.
Huccine mortalis 4 progressa potentia curae?
Iam meus in fragili luditur 5 orbe labor.
Iura poli, rerumque 6 fidem, legesque Deorum
Ecce Syracusius 7 transtulit 8 arte senex.
Inclusus variis famulatur 9 spiritus astris,
Et vivum 10 certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus Signifer 11 annum,
Et simulata novo Cynthia 12 mense redit.
Iamque suum 13 volvens audax industria Mundum
Gaudet, & humana sidera mente regit.
Quid falso insontem 14 tonitru Salmonea miror?
Aemula naturae parva reperta manus.

Epigrammata, quorum incerti auctores, aut Poetarum, quorum aetas incerta est.

XXIV. *De vita tranquilla* 15.

1. Ante rate e Siculo discurrent aequore pisces,
Et deerit Lybicis putris arena vadis 16.

Ante

1 *Saxi* s. Crystalli, cuius pars *liquida* adhuc est. 2 In parva vitrea machina. 3 Sphaeram s. orbes caelestes. 4 Humanae mentis s. ingenii vis. 5 Quasi per iocum repraesentatur, exhibetur. 6 Stabilem constantemque rerum dispositionem s. ordinem. 7 Archimedes. 8 Expressit. 9 Regit, ducit astra quidam veluti spiritus, atque Intelligentia. 10 Se ipsum movens. 11 Zodiacus. 12 Luna. 13 A se constructum. 14 Id. *quid miror Salmonea* post hoc Archimedis opus iam non reum s. *innocentem* ob falsum tonitru. 15 Sulpicii Luperci Servasti iunioris. 16 Syrtibus Africae.

Ante nives [1] calidis demittent fontibus amnes,
Aut Rhodanus nullas in mare ducet aquas.
Ante mari gemino semper pulsata Corinthos [2]
Confundet fluctus pervia [3] facta duos.
Ante feri Cervis submittent corda Leones,
Saevaque dediscet praelia torvus aper;
Medus pila [4] geret, pharetras [5] Romana iuventus:
Fulgebit nitidis India nigra [6] comis.
Quam mihi displiceat vitae fortuna quietae,
Aut credat dubiis [7] se mea puppis aquis.

XXV. *De Scipione* [8].

2. Aspice quem valido subnixum gloria regno [9],
Altius & [10] caeli sedibus extulerat.
Terrarum hic bello magnum concusserat orbem:
Hic reges Asiae fregerat, & populos.
Hic grave servitium [11] tibi, iam tibi Roma ferebat;
Cetera namque viri cuspide [12] conciderant.
Quum subito in medio rerum certamine praeceps
Corruit, e patria pulsus in exilium.
Tale Deae [13] numen, tali mortalia [14] nutu
Fallax [15] momento temporis hora dedit.

XXVI. *De vario rerum pretio* [16].

3. Auro quid melius? iaspis. Quid iaspide? sensus.
Quid sensu? ratio. Quid ratione? Deus.

1 Sc. *nives* gelidae *demittent amnes fontibus* s. aquis *calidis*. 2 Sc. Isthmus Corinthi, quem hinc Ionium, illinc Aegeum mare *pulsat* s. alluit. 3 Ruptus nempe, sive effossus: quod impossibile antiquis visum est. 4 Arma propria Romanorum. 5 Proprias Medorum. 6 Sc. Aethiopes fulgebunt capillis flavis. 7 Sc. dubiis & periculosis eventibus. 8 P. Virgilio Maroni adscribitur. 9 Regia ferme potestate. 10 Etiam. 11 Servitutem, iugum. 12 Armis, & virtute bellica. 13 Fortunae. 14 Res humanas, caducas. 15 Sc. hora, quae temporis momento mutatur, atque nos decipit. 16 Incerti Auctoris.

XXVII. *De Corsica Insula* [1].

4. Barbara [2] praeruptis inclusa est Corsica saxis,
Horrida, desertis undique vasta [3] locis.
Non poma Autumnus, segetes non educat [4] aestus;
Canaque Palladio [5] munere bruma [6] caret.
Vmbrarum [7] nullo ver est laetabile foetu [7],
Nullaque in infausto nascitur herba solo.
Non panis, non haustus aquae, non ultimus [8] ignis;
Hic sola haec duo sunt, exul, & exilium.

XXVIII. *De difficili ad Caesarem ingressu* [9].

5. Caesaris ad valvas sedeo, sto, nocte, dieque;
Nec datur ingressus, quo [10] mea fata loquar.
Ite, Deae [11] faciles, & nostro nomine saltem
Dicite divini Caesaris ante pedes:
Si nequeo placidas affari Caesaris aures;
Saltem aliquis veniat, qui mihi dicat: Abi.

XXIX. *De Iliade ab Asino devorata* [12].

6. Carminis [13] Iliaci libros consumpsit Asellus:
Hoc fatum Trojae est, aut Equus [14], aut Asinus.

XXX. *Corsicam exilii sui locum sibi mitem optat* [15].

7. Corsica, Phocaeo [16] tellus habitata colono,
Corsica, quae Graio nomine Cyrnus eras:

Cor-

1 M. Annaei Senecae. 2 Immanes tunc, ferique erant Corsicae incolae. 3 Vacua, inanis ob loca deserta. 4 Ad maturitatem perducit. 5 Oleis. 6 Hiems quae ob nives candida est. 7 Scil. novis foliis, quae umbram efficiant. 8 Non denique ignis. 9 Incerti. 10 Vt. 11 Musae. 12 Palladii Rutilii Tauri. 13 Iliadem Homeri. 14 Equus Durius s. ligneus. 15 M. Annaei Senecae. 16 A Colonis Graecis ex Phocide.

Corsica Sardinia brevior, porrectior Ilva:
Corsica piscosis pervia fluminibus:
Corsica terribilis, quum primum incanduit aestas;
Saevior, ostendit quum ferus ora Canis 1.
Parce relegatis, hoc est, iam parce sepultis 2;
Vivorum 3 cineri sit tua terra levis.

XXXI. *De Prisco, & Vero Gladiatoribus* 4.

8. Quum traheret 5 Priscustraheret 5 certamina Verus,
Esset & aequalis Mars 6 utriusque diu;
Missio 7 saepe viris magno clamore petita est:
Sed Caesar legi paruit ipse suae.
Lex erat ad digitum 8 posita concurrere palma;
Quod licuit, lances, donaque saepe 9 dedit.
Inventus tamen est finis discriminis aequi 10;
Pugnavere pares, succubuere 11 pares.
Misit utrique rudes 12, & palmas Caesar utrique;
Hoc pretium virtus ingeniosa tulit.
Contigit hoc nullo, nisi te sub Principe, Caesar:
Quum duo pugnarent, victor uterque fuit.

XXXII. *Epitaphium Scipionis Africani* 13.

9. Devicto Hannibale, & capta Cartagine, & aucto
Imperio 14, hoc cineres 15 marmore Tagus 16
habet:

D 2 Cui

1 Canicula, s. minor Canis caelestis. 2 Qui enim ibi vivebant, mortui quodammodo, ac fere sepulti videbantur. 3 Exulibus in Corsica habitantibus id eleganter precatur, quod sepultis precari solebant. 4 E Spectaculorum Libro, qui Martiali tribuitur. 5 Produceret pugnam. 6 Certamen, pugna. 7 Petita est a Populo missio his, ut nempe liberi a Caesare dimitterentur. 8 Quousque eorum alteruter victus *digitum* tollens vitam peteret. 9 Populo, ut pugnae finem patienter exspectaret. 10 Aequalis. 11 Eodem tempore alter ab altero vulneratus est. 12 Virgas, quas qui obtinebant, ab Arena liberi erant. 13 Incerti. 14 Romano. 15 Scipionis. 15 Flumen per Hispaniam, & Lusitaniam fluens.

Cui non Europe 1, non obstitit Africa quondam.
Respice res hominum quam brevis 2 urna tegat.

XXXIII. *De Virgilio* 3.

10. De numero vatum si quis seponat Homerum,
Proximus a primo tum Maro 4 primus erit.
Et si post primum 5 Maro seponatur Homerum,
Longe erit a primo quisque 6 secundus erit.

XXXIV. *Contra malignos, qui Poetam exulem irridebant* 7.

11. Dum sua compositus 8 nondum bene concutit arma
Miles, & e nostra lancea torta 9 manu:
Bellus homo, & valide capitalia crimina 10 ludis,
Deque tuis manant atra venena iocis.
Sed tu perque iocum 11 dicis, vinumque 11, quid ad rem
Si plorem 12, risus si tuus ista 13 facit?
Quare tolle iocos, non est iocus esse malignum;
Numquam sunt grati qui nocuere sales.

XXXV. *Laudat Caesaris indulgentiam* 14.

12. Dum peteret pars 15 haec Myrinum 16, pars illa Triumphum 16;
Promisit pariter Caesar utrumque manu.

Non

1 Nom. Graec. pro *Europa*. 2 Sc. exigua. 3 Incerti. 4 Ordo: *Maro proximus a primo erit primus*, idest Virgilius, qui post Homerum statim succedit, erit primus Poetarum omnium. 5 Sc. si post Homerum, qui est primus, seponatur etiam Virgilius. 6 Sc. quicumque erit secundus a Virgilio, erit s. distabit longe a Virgilio ipso, qui seposito Homero, primus est omnium. 7 M. Annaei Senecae. 8 Paratus ad pugnam. 9 Et hasta, iam vibrata, uti non possum. 10 Quasi ludens obiicis mihi gravissima crimina. 11 Dum iocaris, & bibis. 12 Sc. si ego Seneca plorem. 13 Si nimirum rides, dum in caussa es, ut plorem. 14 Ex Libro Spectac. 15 Factio. 16 Nomina duorum insignium Gladiatorum.

Non potuit melius litem finire iocosam.
O dulce invicti Principis ingenium!

XXXVI. *Epitaphium M. Tullii Ciceronis* 1.

13. Eloquii princeps, magnis memorabilis actis 2,
Tullius, indigna caede peremptus obit.
Sed terras omnes implevit nomine claro;
Ingenium, caeso corpore, morte caret.
Vivit, & ingenti pollet cum laude per orbem,
Cuius in hoc tumulo membra sepulta iacent.

XXXVII. *Cur Poemata graviora non scribat* 3.

14. Esse tibi videor demens, quod carmina nolim
Scribere Patricio digna supercilio:
Quod Telamoniadem 4 non aequo iudice 5 victum
Praeteream, & pugnas, Penthesilea 6, tuas:
Quod non aut magni scribam primordia mundi,
Aut Pelopis 7 currus, aut Diomedis 8 equos:
Aut ut Achilleis infelix Troia lacertis
Quassata, Hectoreo vulnere 9 conciderit.
Vos mare tentetis, vos detis lintea ventis:
Me vehat in tutos parva carina lacus.

XXXVIII. *In Graeciae ruinam* 10.

15. Graecia bellorum longa succussa ruina
Concidit, immodice viribus usa suis.
Fama manet, fortuna perit. Cinis ipse iacentis 11
Visitur, & tumulo est nunc quoque sacra 12 suo.

1 Incerti. 2 Rebus praeclare gestis. 3 Incerti. 4 Aiacem Telamonis filium. 5 Quum peteret Arma Achillis. 6 Regina Amazonum in Bello Troiano ab Achille interfecta. 7 Qui cursu certans in Elide vicit. 8 Ferocissimos quos Diomedes hospitum suorum carnibus pascebat. 9 Idest ob vulnus, & mortem Hectoris. 10 Incerti. 11 Prostratae. 12 Veneratione digna.

Exigua ingentis retinet vestigia famae:
Et magnum infelix, nil nisi 1 nomen, habet.

XXXIX. *De Graeco, quem canis momordit* 2.

16. Graeculus Argolicis 3 laetus veniebat ab oris
Italiam 4: canis hunc forte momordit; obit.
A cane non mirum est subito periisse Pelasgum;
Nam rabies Hecubae 5 durat in Argolicos.

XL. *De Litterarum aeternitate, sive aeterna doctorum hominum fama* 6.

17. Haec urbem 7 circa stulti monimenta doloris,
Quasque vides moles, Appia 8, marmoreas;
Pyramidasque 9 ausas vicinum attingere caelum,
Pyramidas, medio 10 quas fugit umbra die.
Et Mausoleum 11 miserae solatia mortis,
Intulit aeternum quo Cleopatra virum,
Concutiet, sternetque dies; quoque 12 altius extat
Quodque opus, hoc 12 illud carpet, edetque magis.
Carmina sola carent fato, mortemque 13 repellunt:
Carminibus vives semper, Homere, tuis.

XLI. *De Tibullo Poeta* 14.

18. Hic iacet immiti 15 consumptus morte Tibullus,
Messalam terra dum, sequiturque 16 mari.

XLII.

1 Ordo: nil magnum habet, nisi nomen. 2 Incerti. 3 Ab oris Argivorum. 4 In Italiam. 5 Hecuba in canem conversa fuit. 6 Incerti. 7 Circa s. prope urbem. 8 Via Appia, quae Roma Capuam ducit; iuxta hanc plurima Romanorum sepulcra. 9 In Aegypto. 10 Aestatis tempore circa meridiem nullam umbram proiiciebant Pyramides. 11 Celeberrimum sepulcrum, quod Mausolo Cariae Regi erexit Artemisia eius uxor. 12 Sc. & quanto magis, tanto magis. 13 Nominis immortalitatem nobis comparant. 14 Tribuitur Tibullo ipsi. 15 Quae non pepercit adolescenti annos tantummodo 31. nato. 16 Sc. dum sequitur Messalam terra, & mari.

XLII. *Epitaphium Ciceronis* [1].

19. Hic iacet Arpinas [2] manibus tumulatus amicis,
Qui fuit Orator ſummus, & eximius.
Quem nece crudeli mactavit civis [3] & hoſtis.
Nil agis, Antoni; ſcripta diſerta manent.
Vulnere nempe uno Ciceronem conficis: at te
Tullius aeternis [4] vulneribus lacerat.

XLIII. *De incredibili potentia Xerſis Perſarum Regis* [5].

20. Hic, quem cernis, Athos [6] immiſſis pervius undis
Flexibus obliquis circumeundus erat.
Accepit magno deductum Nerea [7] fluctu,
Perque latus [8] miſit maxima bella [9] ſuum.
Sub tanto ſubitae ſonuerunt pondere [10] claſſes,
Caeruleus cana ſub [11] nive pontus erat.
Idem commiſit longo duo [12] littora ponte
Perſes [13], & fecit per mare miles iter [14].
Quale fuit Regem mundo nova ponere iura!
Hoc terrae fiat; hac mare, dixit, eat.

XLIV. *Epitaphium Ovidii* [15].

21. Hic ſitus eſt vates, quem Divi Caeſaris ira
Auguſti patria cedere [16] iuſſit humo.
Saepe miſer voluit patriis occumbere terris,
Sed fruſtra; hunc [17] illi fata dedere locum.

XLV.

1 Incerti. 2 Cicero ex Arpino. 3 M. Antonius Civis, idemque hoſtis Patriae, atque inimicus Ciceronis. 4 Philippicis Orationibus, quae ſemper vivent. 5 Petronii Antigenidis. 6 Athos mons Cherſoneſi, quem Xerſes Perſarum Rex perforaſſe dicitur. 7 Mare. 8 Perforatum. 9 Maximam claſſem. 10 Sub magna mole, & pondere huius montis. 11 Sub nive, qua opertus erat Mons. 12 Aſiae, & Europae littora ponte iunxit in Helleſponto. 13 Xerſes Perſarum Rex. 14 Pedibus iter fecit. 15 Incerti. 16 Proficiſci. 17 In Ponto.

XLV. *Epitaphium Virginii Rufi* 1.

22. Hic ſitus eſt Rufus, pulſo qui Vindice quondam
Imperium adſeruit 2 non ſibi, ſed Patriae.

XLVI. *In Aeneidem Virgilii* 3.

23. Iuſſerat haec rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phrygium 4 quae cecinere, ducem.
Tucca vetat, Varuſque ſimul; tu, maxime Caeſar,
Non finis, & Latiae conſulis hiſtoriae.
Infelix alio cecidit prope Pergamon 5 igni,
Et paene eſt alio Troia cremata 6 rogo.

XLVII. *De Catone Vticenſi* 7.

24. Iuſſa manus ſacri 8 pectus violare Catonis,
Haeſit, & inceptum victa reliquit opus.
Ille ait infeſto contra ſua vulnera vultu:
Eſt ne aliquid, magnus quod Cato non potuit?

XLVIII. *De Leone, qui gubernatorem offendit* 9.

25. Laeſerat ingrato 10 leo perfidus ore magiſtrum 11
Auſus tam notas 12 contemerare 13 manus.
Sed dignas tanto perſolvit crimine poenas,
Et qui non tulerat verbera, tela 14 tulit.
Quos decet eſſe hominum tali ſub principe mores,
Qui iubet ingenium mitius eſſe feris?

XLIX.

1 C. Plinii Secundi: 2 Conſervavit, reſtituit. 3 Sulpicii Apollinaris. 4 Aeneam. 5 Vrbs Phrygiae celeberrima de qua Virgil. Aeneis. 6 Aliis flammis. 7 Incerti. 8 Ob virturem. 9 E libro Spectacul. 10 Quia tot ab eo acceperat beneficia. 11 Cuſtodem. 12 Ipſi tam cognitas, & familiares. 13 Violare, offendere. 14 Spicula.

XLIX. *Laus Claudii Caeſaris ob captam Britanniam* 1.

26. Libera, non hoſtem, non paſſa 2 Britannia Regem;
Aeternum noſtro, quae procul orbe iacet.
Felix 3 adverſis, & ſorte oppreſſa 4 ſecunda
Communis nobis, & tibi, Caeſar, erit.

L. *Epitaphium Virgilii* 5.

27. Mantua me genuit, Calabri 6 rapuere, tenet nunc
Parthenope 6; cecini paſcua 7, rura 8, duces 9.

LI. *De Pub. Virgilio Marone* 10.

28. Maeonio 11 vati quis par, vel proximus eſſet
Conſultus Paean 12 riſit, & haec cecinit.
Si potuit naſci, quem tu ſequereris, Homere;
Naſcetur qui te poſſit, Homere, ſequi.

LII. *De eiuſdem Virgilii Operibus* 13.

29. Maeonium 14 quiſquis Romanus neſcit Homerum,
Me legat, & lectum credat utrumque ſibi.
Illius immenſos 15 miratur Graecia campos.
At minor eſt nobis, ſed bene cultus ager 16.
Hic tibi nec paſtor 17, nec curvus deerit arator 18.
Haec Graiis conſtant ſingula 19, trina mihi.

LIII.

1 Incerti. 2 Sc. antea non devicta ab ullo hoſte, non ſubiecta ulli Regi. 3 Felix dum adverſam habuit nunc belli fortunam. 4 Cui proſpera ſors fuit dum ab armis Rom. eſt oppreſſa. 5 Incerti. 6 Mortuus Brundufii, ſepultus ſum Neapoli. 7 Eclogas ſ Bucolica. 8 Georgica. 9 Aeneidem. 10 Incerti. 11 Homero. 12 Apollo. 13 Incerti. 14 Ita dicitur, quia Maeonis fil. 15 Fuſiora, maiora Poemata ſc. Iliadem, & Odyſſeam. 16 Aeneis brevior, ſed cultior. 17 Bucolica, in quibus Paſtores. 18 Georgica, in quibus Agriculturae praecepta. 19 Homerus Bella &c. Theocritus Bucolica, Heſiodus Georgica apud Graecos cecinerunt.

LIII. 1 *Epitaphium Ciceronis* .

30. Marcus eram Cicero toto notissimus orbe,
Cuius relliquias 2 occulit 3 urna brevis.
Dextera me patriae nuper civilis 4 ademit,
Eripui 5 Patriam qui prius exitio.
Siquis in hoc saxo Tulli legis, advena, nomen;
Non dedigneris dicere, Marce, vale.

LIV. *De sepulcro Catonis Vticensis* 6.

31. Ne mirere sacri deformia busta 7 Catonis;
Visuntur magni parva sepulcra 8 Iovis.

LV. *De felicitate Caesaris Augusti* 9.

32. Nocte pluit tota, redeunt 10 Spectacula mane;
Divisum 11 imperium cum Iove Caesar habet.

LVI. *De Litterarum aeternitate* 12.

33. Nullum opus exsurgit, quod non annosa vetustas
Expugnet 13, quod non vertat 14 iniqua dies,
Tu licet extollas magnos ad sidera montes,
Et validas aeques marmore 15 Pyramidas.
Ingenio mors nulla nocet; vacat 16 undique tutum;
Illaesum semper carmina nomen habent.

LVII.

1 Incerti. 2 Cineres qui supersunt. 3 continet. 4 Scil. M. Antonii Civis Romani. 5 Exitio nempe, quod ipsi moliebatur Catilina. 6 Incerti. 7 Quod informe sit sepulcrum. 8 Sepulcrum Iovis in Creta insula 9 P. Virgilii Maronis. 10 Quae intermitti debuissent, si mane pluisset. 11 Noctem sibi Iupiter, diem Caesari, eiusque Spectaculis concessit. 12 Incerti. 13 Prosternat, diruat. 14 Subvertat. 15 Licet tu extollas marmoreum aedificium aequale Pyramidibus. 16 A morte, ab interitu liberum est, tutum ab omni parte.

LVII. *Omnia tempore absumi* 1.

34. Omnia tempus edax depascitur, omnia carpit;
Omnia sede 2 movet, nec finit esse diu.
Flumina deficiunt, profugum 3 mare littora siccat,
Subsidunt montes, & iuga celsa ruunt.
Quid tam parva loquor? moles pulcherrima caeli
Ardebit flammis tota repente suis.
Omnia mors poscit; lex est, non poena perire;
Hic aliquo mundus tempore nullus erit.

LVIII. *De Xerse Persarum Rege* 4.

35. Perses Magnus 5 adest, totus comitatur euntem
Orbis 6: quid dubitas Graecia ferre iugum?
Mundus iussa facit: solem texere sagittae;
Calcatur 7 pontus: fluctuat 8 altus Athos.

LIX. *Ad Vespasianum de multitudine, & varietate Spectatorum* 9.

36. Quae tam seposita est 10, quae gens tam barbara 11, Caesar,
Ex qua Spectator non sit in urbe tua?
Venit ab Orpheo 12 cultor Rhodopeius 12 Haemo 13,
Venit & epoto 14 Sarmata passus equo 14;

Et

1 M. Annaei Senecae. 2 Deiicit e suo loco. 3 Profugum vocat mare, quod a Continente recedens, siccum littus relinquit. 4 Petronii Antigenidis. 5 Magnus Xerses Persarum Rex. 6 Duxisse fertur contra Graeciam decies & septies centena militum millia. 7 Ob Pontem in Hellesponto constructum. 8 In ipsum enim perforatum a Xerse intrant maris fluctus. 9 Ex libro Spectacul.
10 Tam remota. 11 Tam diversa, atque abhorrens a moribus Roman. 12 Thrax, qui *colit Rhodopen* montem.
13 Haemus mons Thraciae. Vocatur adi. nom *Orpheus* Ὀρφεῖος, quia ex eadem Thraciae regione Orpheus celeberrimus. 14 Sanguine *equino*, quem *bibit*.

Et qui prima bibit deprensi 1 flumina Nili,
Et quem supremae 2 Tethyos unda ferit.
Festinavit Arabs, festinavere Sabaei,
Et Cilices nimbis hic maduere 3 suis.
Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Aethiopes.
Vox diversa sonat: populorum est vox tamen una,
Quum verus patriae diceris esse pater.

LX. *De Neptuno marmoreo aquas fundente* 4.

37. Quam melior, Neptune, tuo sors ista 5 tridente 6?
Post pelagus dulces hic tibi dantur aquae.

LXI. *Epitaphium Virgilii* 7.

38. Qui pecudes 8, qui rura 9 canit, qui praelia 10, Vates,
In Calabris moriens, hac requiescit humo.

LXII. *De Fulvia* 11.

39. Quid gnatum caedit Venus? Arcum perdidit. Arcum?
Quis rapuit? Tusco Fulvia nata solo.
Fulvia cur rapuit? dedit hic; nam lumine formae
Deceptus matri se dare crediderat.

LXIII.

1 Aquas Nili in eo loco, in quo primum flumen hoc detegitur; vera enim eius origo tunc ignota fuit. 2 Hispani, & Lusitani, quos alluit unda *extremi maris*; *Thetys* enim est uxor Oceani. 3 Croco vino diluto; Crocus enim ex Cilicia. Ideo autem dicuntur Cilices maduisse, quia Spectatores in Theatro odoratis liquoribus inspergi f. madefieri solebant. 4 Incerti. 5 Ista conditio, istud officium, quo fungeris modo. 6 Quo tu uteris in mari. 7 Incerti. 8 Bucolica. 9 Georgica. 10 Aeneidem. 11 Incerti.

LXIII. *De Nerone Imper.* [1].

40. Quis neget Aeneae magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit [2] hic matrem, ſuſtulit [3] ille patrem.

LXIV. *In Athenas, aliasque Graeciae Vrbes* [4].

41. Quiſquis Cecropias [5] hoſpes cognoſcis Athenas,
Quae veteris famae vix tibi ſigna dabunt:
Haſne Dei dices, caelo periere relicto?
Regiaque partitis [6] haec fuit una [7] Deis?
Idem, Agamemnonias [8], dices, quum videris Arces:
Heu victrix victa [9] vaſtior [10] urbe iaces!
Haec ſunt, quas merito quondam eſt mirata vetuſtas:
Magnarum rerum magna ſepulcra vides.

LXV. *Ad hominem glorioſum* [11].

42. Quod tua mille domus ſolidas habet alta columnas;
Quod tua marmoreo ianua poſte nitet:
Aurea quod ſummo [12] ſplendent laquearia tecto;
Imum [13] cruſta [14] tegit quod pretioſa locum:
Atria quod circa dives tegit omnia cultus [15];
Hoc animos tollit nempe, beate, tuos?
Aedibus in totis gemmae licet omnia claudant,
Turpe eſt, nil domino turpius [16] eſſe ſuo.

LXVI.

1 Incerti. 2 Interfecit. 3 Humeris ſuſtulit f. portavit ex incendio Troiano. 4 Incerti. 5 Cecropiae dicuntur a Cecrope primo Rege, qui eas condidit, aut ſaltem amplificavit. 6 Qui eam ſibi diviſerunt. Indicat hic Minervam, ac Neptunum, qui de Athenarum tutela contenderunt. 7 Sola. 8 *Argos* Regiam Agamemnonis. 9 Id. Troia, quae ab Argivis capta fuit. 10 Magis deſolata. 11 Incerti. 12 Supremae domus f. tecti partes. 13 Pavimentum. 14 Id. marmor pretioſum. 15 Pretioſa ornamenta. 16 Sc. dominum non eſſe pretioſiorem ulla ex ſuis rebus.

LXVI. *Mater in morte filiae ita loquitur* 1.

43. Quot lacrimas moriens liquisti, filia, matri;
Tot tibi dent Superi gaudia perpetuo.
Te conata sequi, ter spiritus haeserat ori:
Quod volui, haud potui, te pereunte mori.
Solamen, siquod miserae est, insomnia praestant,
Quum tristem in somnis ludit imago animam.

LXVII. *De Lucretia Romana, quae sibi mortem conscivit* 2.

44. Quum foderet ferro castum Lucretia pectus,
Sanguinis & torrens egrederetur, ait:
Testetur cunctis me non violasse pudorem
Ante virum 3 sanguis, spiritus ante Deos.
Quam bene producti pro me post fata loquentur
Alter 4 apud Manes, alter 5 apud Superos 6.

LXVIII. *De C. Valerio Catullo* 7.

45. Tantum parva suo debet Verona Catullo,
Quantum magna suo Mantua Virgilio.

LXIX. *De Matre Byzantina, cuius filius strenue in praelio obierat* 8.

46. Viderat exanimem mater Byzantia natum,
Forte facit patriis dum sua vota sacris.
Impositumque suis iuvenem, quae gesserat, armis 9,
Et madida hostili tela 10, manusque nece.
Mox nec scissa comam mater, nec territa casu,
Femina fortuna celsior ipsa sua:

Na-

1 Incerti. 2 P. Ovidii Nasonis. 3 Maritum. 4 Spiritus. 5 Sanguis. 6 Deos, & homines viventes. 7 Incerti. 8 Incerti. 9 Sc. scuto, quod gesserat. 10 Manus, & tela filii sui adhuc madida sanguine hostium, quos pugnando interfecerat.

Nate, ait, egregium patriae per faecula nomen 1,
Quam non degeneri 2 funere, nate, iaces!
Nunc demum peperiffe iuvat: dolor omnis abefto;
Numquam ego, te nato, non bene 3 mater ero.

LXX. *Hominum mentes dociles, & verfatiles effe debere* 4.

47. Vt laus eft cerae, mollis, cedenfque fequatur
Si doctos digitos, iuffaque 5 fingat 6 opus.
Et nunc informet Martem, caftamque Minervam:
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum.
Vtque facri fontes non folum incendia fiftunt 7,
Saepe etiam flores, vernaque prata iuvant 8:
Sic hominum ingenium flecti, ducique per artes
Non rigidas 9 docta mobilitate decet.

Ex vetuftis marmoribus.

LXXI. *De Miltiade* 10.

1. Qui Perfas bello vicit Marathonis 11 in arvis;
Civibus ingratis, & Patria interiit.

LXXII. *Parentes Baffo puero* 12.

2. Debuit hoc natus nobis praeftare duobus,
Vt cineres patrios dederet 13 inferiis;
Sed, quoniam dirae fecuerunt fila forores 14,
Te, Baffe, ereptum flevimus ante rogum.

LXXIII.

1 Gloria infignis, & fplendor Patriae. 2 A virtute tuorum. 3 Quum habuerim te filium *numquam non ero bene* fc. ero femper felix mater. 4 C. Plinii Secundi, 5 Iuxta voluntatem, imperium &c. 6 Efformet. 7 Extinguunt. 8 Irrigant. 9 Politiores, humaniores. 10 Gruterus in Infcript Orb. Rom. Pag. 438. n. 6. 11 Fuit hic Populus Atticae. 12 Gruterus pag. 670. n. 2. 13 Scil. daret inferiis, ideft inferias faceret cineribus parentum. 1 Parcae &c.

LXXIII. *Pater filiae* 1.

3. Quod 2 decuit Natam Patri praeftare fepulto,
Hoc contra Natae praeftitit ipfe Pater.

LXXIV. *Mater filiae* 3.

4. Verius 4 hunc tumulum matri tu, Nata, dicaffes,
Quam mater miferae nunc tibi, Nata, facit.
Biffenos completam 5 annos te, filia, matri
Eripuit miferae mortis iniqua 6 dies.
Obteftor Manes meritae, fanctaeque Patronae;
Comprecor, ut leni terra tegat tumulo.

LXXV. *Zeloti Epitaphium* 7.

5. Sic tibi contingat feliciter ire, viator;
Immatura meo perlege fata loco.
Zelotos 8 iaceo: vixi dum fata finebant,
Si tamen vita eft tam cito poffe mori.
Bis mihi feptenis finis 9 datur ultimus annis,
Nomine 10 me rapuit mors inimica meo.

LXXVI. *In tumulo Avari* 11.

6. Qui, dum vita 12 fuit, femper vivebat avarus,
Haeredi 13 parcens, invidus ipfe fibi:
Hic

1 Grut. pag. 697. n. 6. 2 Sc. inferias, exequias. 3 Grut. pag. 718. n. 1. 4 Rectius, magis convenienter. 5 Sc. completis duodecim annis. 6 Non aequa, non iufta, quia immatura 7 Fabrettus Infcr. Famil. 8 Ζηλώτος graece fignificat *expetendus*, *dignus cui invideamus*. 9 Mors. 10 Ob fignificationem mei nominis mihi invidit, f. me expetivit. 11 Grut. p. 823. n. 2. 12 *Fuit ipfi vita* fcil. vixit. 13 Ab impenfis cavens f. nummos congregans in haeredis fui utilitatem.

Hic accumbentem sculpi 1 genialiter arte
Se iussit docta post sua fata manu 2;
Vt saltem recubans in morte quiescere posset,
Securaque 3 iacens ille quiete frui:
Filius a dextra residet, qui castra sequutus
Occidit ante Patris funera maesta sui.
Sed quid defunctis prodest genialis imago?
Hoc potius ritu vivere debuerant.

LXXVII. *Latinae Epitaphium* 4.

7. Vixisses utinam, & potius mea musa taceret,
Quam mihi scribendi caussa, Latina, fores!
Vixisses, neu te surgentem 5 in vota tuorum
Aspicerem addictam 6 Manibus ire sacris.
Sed quoniam Parcis vetitum est nihil; accipe nostri
Aeternas eheu! carminis exequias.

LXXVIII. *Epitaphium Felicis* 7.

8. Sponte fui pauper tam re, quam nomine, Felix:
Quaesivi 8 nomen; quaerat avarus opes.

LXXIX. *De Leonis magnanimitate* 9.

9. Iratus recolas, quod nobilis ira Leonis
In sibi 10 prostratos se negat esse feram 11.

LXXX. *Libertus. Patrono suo* 12.

10. O utinam vivo potuissem praemia morum 13
Reddere! nunc lacrimas accipe pro meritis.

1 Recubans in thoro, mensaeque accumbens, ut qui *genio* indulgent. 2 A perito Sculptore. 3 Quam nulli adversi casus turbare possunt. 4 Grut. pag. 843. n. 2. 5 Vtinam non contra vota, ac desiderium. 6 In potestatem Inferorum Numinum. 7 Grut pag. 911. n. 15. 8 Sub. assequi id, quod meo *Felicis* nomine significatur. 9 Grut. pag. 928. n. 10. 10 Eos qui ipsi cedunt. 11 Non saevit. 12 Grut. pag. 948. n. 10. 13 Suppl. bonorum.

Nam semper fateor tacita te mente probavi;
Detexit sensus ultima flamma [1] meos.
Tu columen rerum semper, tu cura mearum;
Nunc eris & luctus tu quoque caussa mei.

LXXXI. *Patronus Liberto* [2].

11. Hic situs est quondam Gelli pars maxima [3] Phoebus;
Affectus omnes possidet iste lapis,
Vix consummavit septem quinquennia lustri,
Oscula ferventem nec tenuere animam.
Quod si mutari potuissent fata Sororum,
Gauderet condi Gellius hoc tumulo [4].

LXXXII. *Pater filiae* [5].

12. Quae tibi [6] cumque mei potuerunt pignora amoris,
Nata, dari, populo sunt lacrumante [7] data.
Et volui maiora nimis [8]; sed cura meorum
Fida tui prohibet me cinerem [9] esse rogi.

LXXXIII. *Epitaphium Rudis Aurigae* [10].

13. Hoc Rudis aurigae requiescunt membra sepulcro,
Non tamen [11] ignari flectere lora manu.
Iam qui quadriiugos [12] auderem scandere currus,
Et tamen a biiugis [13] non removerer equis.
Invidere meis annis crudelia fata,
Fata quibus nequeas opposuisse manus.

Nec

1 Flamma rogi, in quo corpus tuum arsit. 2 Grut. pag. 950. n. 10. 3 Maxime dilectus Gellio. 4 Vt viveret Phoebus. 5 Grut. pag. 1000. n. 9. 6 Thmesis pro *quaecumque pignora mei amoris potuerunt dari tibi*. 7 Scil. lacrimante. 8 Scil. dare. 9 Vetat ne me interficiam, ut in tuo rogo tecum comburar. 10 Grut. pag. 340. n. 3. 11 Licet nomine *Rudis* vocaretur. 12 Quadrigas. 13 Bigis.

Nec mihi concessa est morituro gloria Circi 1,
Donaret lacrimas ne pia turba mihi.
Vssere ardentes intus mea viscera morbi,
Vincere quos Medicae non potuere manus.
Sparge, precor, flores supra mea busta, viator:
Favisti vivo forsitan ipse mihi.

LXXXIV. *Epitaphium viri probi* 2.

14. Morborum vitia, & vitae mala maxima fugi;
Nunc careo poenis, pace fruor placida.

LXXXV. *Epitaph. duorum Fratrum Lucii, & Flavii* 3.

15. Vrna brevis geminum quamvis 4 tegit ista cadaver,
Attamen in caelo spiritus unus adest.
Viximus unanimes Luciusque, & Flavius; idem
Census, amor, studium, vita duobus erat.

LXXXVI. *Inscriptio super Fontem posita* 5.

16. Huius Nympha loci, sacri custodia 6 fontis,
Dormio, dum blandae sentio murmur aquae.
Parce 7 meum quisquis tangis cava marmora somnum
Rumpere 7; sive bibas, sive lavere, tace.

LXXXVII. *Inscript. Ponti, quem super Anienem in via Salaria Narses construxit* 8.

17. Quam bene curvati directa est semita Pontis,
Atque interruptum continuatur iter!

E 2 Cal-

1 Vt agitarem Currus in Circo antequam morerer.
2 Grut. pag. 1062. n. 3. 3 Grut. pag. 1055. n. 2.
4 Ordo: *quamvis ista brevis urna tegit geminum cadaver*, idest: quamvis in hac brevi urna sint duo diversa cadavera. 5 Grut. pag. 182. n. 3. 6 Scil. custos. 7 Cave ne rumpas. 8 Grut. pag. 161. n. 2.

Calcamus rapidas subiecti gurgitis undas,
Et libet iratae cernere murmur aquae.
Ite igitur faciles per gaudia vestra, Quirites,
Et Narsim 1 resonans plausus ubique sonet.
Qui potuit rigidas Gothorum subdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre iugum.

LXXXVIII. *Maritus de Vxore sua defuncta* 2.

18. Invide quid gaudes? illa hic mihi mortua, vivet
Illa meis oculis aurea 3 semper erit.

LXXXIX. *Epitaphium Pyladis* 4.

19. Subductum 5 primae Pyladen haec ara 6 iuventae
Indicat exemplum non leve amicitiae.
Namque sodalitii 7 sacravit turba, futurum
Nominis indicium, nec minus officii.
Dicite, qui legitis, solito de more, sepulto:
Pro meritis, Pylades, sit tibi terra levis 8.

XC. *De Laevino, qui Insubriae praesidebat* 9.

20. Vester ego, Insubres, iaceo hic sub marmore, vester
Laevinus; Lyciae gloria gentis eram.
Quid mihi honos, quid opes? virtus me sola beavit,
Qua mortalibus, & Caelitibus placui.
Quae fuit in terris vestri 10 mihi cura salutis,
In Superis haec eadem nunc quoque cura mihi est.

De

1 *Narsim* a Graec. Νάρσην. 2 Grut. pag. 752. n. 3.
3 Pretiosa aeque ac aurum. 4 Muratorius in Novo Thesauro Inscriptionum pag. 544. n. 3. 5 Ereptum. 6 Tumulus. 7 Sodales. 8 Hoc mortuis precabantur.
9 Murator. pag. 712. n. 7. 10 Sc. Vestrum, idest *salutis vestrae*.

De Pontio Laevini socio 1.

Pontius hic pariter sua Convicarius ossa
Hic cum Laevino iussit humanda suo.
Vt quos viventes animus coniunxerat idem,
Defunctos eadem iungeret urna duos.
Flete virum, quicumque illo superestis 2 adempto;
Gaudete ob civem Dique, Deaeque 3 novum.

XCI. *Epitaphium Meiae Matrisfamilias* 4.

21. Meia fui felix septem circumdata natis;
Dum vixi, adstabat turba tenella mihi.
Vt mihi grata vicem natorum turba referret
Hoc mihi de Pario marmore struxit opus.
Manibus atque meis nati pia vota dedere,
Persolvere meis manibus inferias.
Postquam nulla mei, Superi, vos cura fatigat;
Natorum memores este, precor, Superi.

XCII. *Epitaphium Pomptillae a Philippo marito positum* 5.

22. Quod credis templum 6, quod forte, viator, adoras,
Pomptillae cineres, ossaque parva tegit.
Sardoa 7 tellure premor comitata maritum,
Proque viro fama est me voluisse mori.

XCIII.

1 Murator. ibid. 2 Scil. superestis inter vivos, s. vivitis adhuc. 3 Inter vos enim cooptatus s. adscriptus est. 4 Pag. 1264. n. 1. 5 Murat. pag. 1638. n. 4. 6 Tam magnum est sepulcrum. 7 Sc. Sardiniae insulae.

XCIII. 1

23. Vnum, & viginti bis 2 iuncti viximus annos,
Vna fides nobis gaudia multa dedit.
Et prior ad lethum quum sit Pomptilla recepta;
Tempore tu, dixit, vive, Philippe 3, meo.
Nunc aeterna quies, Ditisque silentia maesta
Hanc statuere mihi pro pietate domum.

XCIV. 4

24. Languentem tristis dum flet Pomptilla maritum,
Voluit 5 pro vita coniugis ipsa mori.
Protinus in placidam delabi visa quietem
Occidit; o celeres in mala 6 vota Dei!
Has 7 audire preces? vitam servare marito,
Vt pereat vita dulcior 8 ipsa mihi?

Sit tibi terra levis, mulier dignissima vita,
Quaeque tuis olim perfruerere bonis.

XCV. *In tumulo Magnillae Puellae* 9.

25. Vmbrarum secura quies, animaeque Piorum
Laudatae, colitis quae loca sancta Erebi;
Sedes 10 insontem Magnillam ducite vestras
Per nemora, & campos protinus Elysios.
Rapta est octavo fatis instantibus anno,
Carpebat vitae tempora dum tenerae.

For-

1 Ibidem. 2 Scil. annos 41. Etenim bis viginti sunt quadraginta. 3 Hic erat Maritus Pomptillae. 4 Ibidem. 5 Emendatior esset versus *Pro vita voluit*. 6 Ad implenda vota, quae nobis nocent. 7 Decebat ne vos audire? &c. 8 Vxor. 9 Murat. pag. 1705. n. 6. 10 Sc. in vestras sedes.

Formosa, & sensu mirabilis, & super annis [1]
Docta, decens, dulcis, grataque blanditiis.
Perpetuo talis gemitu, lacrimisque colenda;
Infelix, aevo tam cito quae caruit.
An felix aegrae potius subducta senectae?
Sic Hecuba [2] flevit Penthesilea [2] minus.

XCVI. *In Sepulcro, quod vivus homo sibi erexit* [3].

26. Vivus mi [4] feci, ne post me lentius haeres
Conderet exiguo busta suprema rogo.

XCVII. *In sepulcro Pueri* [5].

27. Flet domus, & cari lugent sine fine Parentes
Abreptum [6] fatis: contegor hoc tumulo.
Si me vidisses, aut si mea funera nosses,
Fudisses lacrimas, hospes, in ossa mea.

XCVIII. *Super muros Assulae Castelli* [7].

28. Assula sum muris circumdata pulcra duobus,
Assula praestanti splendida facta manu.
Desine, dux belli, de me sperare triumphum:
Frange opus hoc; hominum pectora murus erunt.

XCIX. *Epitaphium Medici Eugubini* [8].

29. Ortus ab Iguvio [9] Medicus Fora multa secutus
Arte feror nota, nibiliore fide.

1 Supra aetatem. 2 Penthesilea, quae minus vixit, flevit minus, quam Hecuba, quae diu vixit. 3 Murat. pag. 1712. n. 6. 4 Mihi. 5 Murat. pag. 1748. n. 1. 6 Scil. me morte ereptum. 7 Reinesius in Syntagmate Inscriptionum Classe II. n. 34. 8 Reinesius Classe XI. n. 9. 9 Scil. Eugubio Vrbe Vmbriae, *Gubbio*.

Me consurgentem valida fortuna iuventa
  Destituit, rapidis imposuitque rogis.
Clusino cineres flammae cessere sepulcro,
  Patronus patrio condidit ossa solo.

C. *Epitaphium Petroniae Christianae feminae* 1,

30. Levitae coniux Petronia, forma pudoris,
  His mea deponens 2 sedibus ossa loco.
Parcite, vos lacrimis dulci cum coniuge 3 natae;
  Viventemque Deo credite flere nefas.

1 Reinesius Clas. XX. n. 368. 2 Sc. loco f. colloco mea ossa deposita in his sedibus. 3 Vna cum Levita marito meo.

SELECTORVM EPIGRAMMATVM

CENTVRIA III.

Io. Ioviani Pontani.

I. *Invitat Antonium Panormitam ad risum.*

ANtoni decus elegantiarum,
Atque idem pater omnium leporum,
Vnus te rogat ex tuis amicis
Cras ad se venias, ferasque tecum
Quantumcumque potes facetiarum,
Et quidquid fuerit domi iocorum.
Nam risus tibi tantum apparavit,
Quantum Democrito diebus octo
Profundi 1 satis, & super fuisset.
Quod tecum patulo 2 cupit palato
Perridere suapte risione
Condita levitate, ineptiisque.

II. *Mater puerum suum ad somnum hortatur.*

2. Scite puer, mellite puer, nate unice, dormi:
Claude tenelle oculos, conde tenelle genas.
Ipse sopor 3 non condis, ait, non claudis ocellos?
En cubat ante tuos Luscula 4 lassa pedes,

Lan-

1 Sc. quantum satis superque fuisset Democrito, ut diebus octo risum profundere posset. 2 Ore aperto.
3 Somnus ipse ita tibi dicit: Puer non condis, non claudis &c. 4 Canis quaedam, quae puero solatium afferre solet.

Languidulos (bene habet) conditque, & claudit ocellos
Lucius, & roseo est fusus in ore sopor.
Aura veni, foveasque meum placidissima natum;
An strepitant frondes? Iam levis, aura, veni.
Scite puer, mellite puer, nate unice, dormi
Aura fovet flatu 1, mater amata sinu.

Angeli Politiani.

III. *Ad Poetam, cuius carmina damnaverat.*

1. Quae tu condideras damnavi carmina nuper,
Nec tua 2 damnavi carmina, Paulle, tamen.
Auctor eras, fateor; sed quum sunt edita, Paulle,
Auctoris non sunt carmina, sed Populi 3.

IV. *De Laurentii Medicei Equo Africano velocissimo.*

2. Et volucrem 4, & Zephyros 4 cursu praevertitur ipso,
Quem tibi misit Equum, barbara, Laure 5, Nomas 6.
Cesserit huic pavidas submittens Pegasus alas,
Iamque Deo parens Cyllarus 7 Oebalidae 8.
Hunc aut Carceribus 9, aut meta cernere in ipsa,
Laure, licet; medio 10 non licet in stadio.

V.

1 Sc. leni flatu, f. leniter spirans. 2 Quae sint tui iuris. 3 Sc. publici iuris facta. 4 Et avem, & ventos. 5 Sc. Laurenti. 6 Numidia f. Africa, barbara ob locorum asperitatem, & incolarum feritatem. 7 Cyllarus equus Pollucis. 8 Pollux Spartanus *Oebalides* hic dicitur; *Oebalia* enim Laconia est. 9 Unde equi in cursum emittuntur. 10 Scil. in medio stadii f. hippodromi.

V. *De inepto Poeta.*

3. Scripsit in invidiam quidam, Francisce, Poeta
Tam bene [1], tam docte, nullus ut invideat [2].

Michaelis Tarchaniotae Marulli.

VI. *De Militibus in bello mortuis, & insepultis.*

1. Tu quicumque virum vacuo tot millia in arvo
Cernis ab hirsutis dilaceranda feris,
Desine mirari; patrii hoc est moris, honestam
Pugnando mortem quaerere, non tumulum.

VII. *De Vrna in usum fontis versa.*

2. Tu quicumque meo fontem [3] de marmore sumis,
Parce [4] precor; cineri [5] sum vetus Vrna pio.
Vertit in hos usus gelidi rudis accola fontis:
Nescius ah quantum [6] susciperet facinus!
At tu non [7] meritos Manes veneratus in Vrna,
Hinc quoque tot rerum disce, hominumque vices.

Iacobi s. Actii Synceri Sannazarii.

VIII. *In tumulum Ladislai Regis Neapolitani.*

1. Miraris niveis pendentia [8] saxa columnis [9]
Hospes, & hunc, acri qui sedet altus [10] equo?
Quid

1 Ironice. 2 Nullam acquisivit famam s. gloriam, quam quis ipsi invideat. 3 Aquam. 4 Ne sumas. 5 Cineri pio s. pietatis caussa consecrata. 6 Quam indignum. 7 Qui hoc non meruerunt, ut contra sepulcrorum religionem violarentur. 8 Quae pendentia sustinentur. 9 Columnis ex nive s. candido marmore. 10 Ladislai nimirum statuam Equestrem.

Quid si animos, roburque ducis, praeclaraque nosses
  Pectora, & invictas dura per arma manus?
Hic Capitolinis deiecit sedibus hostem 1
  Bisque 2 triumphata victor ab urbe redit.
Italiamque omnem bello concussit & armis;
  Intulit Etrusco signa tremenda mari:
Neve foret Latio 3 tantum diademate felix,
  Ante suos vidit Gallica 4 sceptra pedes.
Quumque rebellantem pressisset pontibus Arnum,
  Mors vetuit sextam 5 claudere Olympiadem.
I nunc, regna para, fastusque attolle superbos;
  Mors etiam magnos obruit atra Deos 6.

IX. *De Poggio Florentino Historico.*

2. Dum Patriam laudat, damnat dum Poggius hostem,
  Nec malus 7 est civis, nec bonus 8 historicus.

X. *De mirabili Vrbe Venetiarum.*

3. Viderat Adriacis 9 Venetam Neptunus in undis
  Stare Vrbem, & toto ponere iura mari.
Nunc mihi Tarpeias 10 quantumvis, Iuppiter, arces
  Obiice, & illa tui moenia Martis 11, ait.
Si Pelago Tibrim praefers; Vrbem adspice utramque:
  Illam homines dices, hanc posuisse Deos.

XI.

1 Sc. Ludovicum Andegavensem, quem coegit Romae obsidionem solvere. 2 Antea quoque Romam vicerat, represserat nimirum Romanos contra Bonifacium IX. rebellantes. 3 Italico f. Neapolitano 4 Andevagensem ipsum saepius fudit. 5 Vigesimum quartum annum 6 Magnos nempe viros. 7 Quia Patriae favet. 8 Quia veritatem negligit. 9 Sc. In mari Adriatico. 10 Capitolinas; ibi enim Capitolium, ubi Rupes Tarpeia. 11 Exstructa a Romulo Martis filio.

XI. *Ad Aeneam, qui discedens gladium Didoni reliquit.*

4. Immemor ah miserae cur ensem linquis Elisae 1,
Nate Dea 2? profugas non gravat ille rates.
Anne parum fuerat caussam dare mortis acerbae,
Ni ferrum fugiens tu quoque triste dares?
Tolle, precor, tumidas tecum hoc, iam tolle per undas;
Discessu 3 satis est si perit illa tuo.

XII. *De Homero in Latinam linguam verso.*

5. Quid septem 4 de vate 5 sacro contenditis urbes?
Ecce potest Civem 6 dicere Roma suum.
At vos aut nostrum, si fas, auferte Maronem;
Aut alium vobis quaerite 7 Maeoniden 8.

XIII. *Epitaphium, quod filio Parentes ponunt.*

6. Nate patris, matrisque amor, & suprema 9 voluptas,
Accipe, quae nobis te dare par fuerat.
Busta 10 eheu! tristesque 11 notas damus: invida quando 12
Mors immaturo funere te rapuit.

XIV.

1 Didoni. 2 Aenea fili Veneris. 3 Ob tuum discessum. 4 Septem Graeciae Vrbes, quae contendebant Homerum Civem suum esse, hoc versu continentur: *Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenae.* 5 Homero. 6 Quia Latinus factus est. 7 Homerum Maeonis filium. 8 Sensus est; nunc aeque Latinus & Romanus est Homerus, ac Virgilius; ita ut aeque Romanis sit iniurius qui ipsis Homerum, ac qui Virgilium aufert. Quum igitur, inquit Poeta, Virgilium nobis relinquere Graeci debeant, relinquant eodem modo hunc Homerum; & alium novum Homerum sibi quaerant. 9 *Maxima*, quod prae omnibus rebus filius hic Parentibus carissimus; vel *ultima*, quod filiorum ultimus ipsis natus esset. 10 Sepulcrum. 11 Triste Epitaphium. 12 Quandoquidem.

XIV. *In Theatrum Campanum dirutum.*

7. Dicite, Semidei 1, silvarum numina, Panes 1,
Et siqua adventu es Nympha fugata meo:
Cui licuit tantas saxorum evertere moles,
Quas iam disiectas vix nemora alta tegunt?
Hisne olim sueta est cuneis 2 Campana iuventus
Amphitheatrales laeta videre iocos?
Nunc ubi tot plaususque hominum, vocesque canorae,
Tot risus, tot iam gaudia, tot facies?
Scilicet (heu fati leges!) rapit omnia tempus;
Et quae sustulerat 3, deprimit ipsa dies.

XV. *Epitaphium Caudolae praestantissimi viri.*

8. Heu quae te rigidi rapuit vis effera fati;
Quis matri miserae tot peperit lacrimas,
Flos veterum, Caudola, virum? tibi maesta sepulcrum
Illa 4 dedit, tristes Actius 5 hos titulos 6.
Hos titulos; qui te nigras descendere ab umbras,
Obduci 7 & Stygia non patiantur aqua.
Tempora miretur quivis sua: talis Achilles,
Talis, quum caderet, Martius 8 Hector erat,
I precor, 1 nullos non durature per annos,
Nestoreos 9 qui iam vivere dignus eras.

XVI.

1 Panes Dii Agrorum, *Semidei* dicti, quod medii inter naturam hominum, & Deorum. 2 Sedilium ordinibus. 3 Sc. tempus, quod *sustulerat*, erexerat quaedam, ipsum eadem *deprimit*, deiicit. 4 Mater. 5 Sannazarius ipse Poeta. 6 Hoc Epitaphium. 7 Sc. Lethes unda; Sensus est: non patiantur te oblivioni mandari, s. memoriam tui perire. 8 Bellicosus. 9 Plurimos, ut Nestor.

XVI. *In Poetam mala quaedam Carmina tanquam antiqua venditantem.*

9. Tanquam priſca mihi, ſaxoque 1 inventa vetuſto
Diſticha, Rufe, ſoles ſaepe referre tua.
Stultum adeo me, Rufe, putas? ego tam mala credam
Carmina Romano marmore poſſe legi?
Archemoro 2 longos affingis Neſtoris 3 annos,
Andromaches 4 puerum Laomedonta vocas.
Deſine mentiri Pyliam 5, Phrygiamque 6 ſenectam;
Sint vetera haec aliis, mi 7 nova ſemper erunt.

XVII. *Oraculum Apollinis de Euno.*

10. Quidquid erat tripodum 8 Cumis, Delphiſque 9 petiſti,
Diſcere fortunam dum cupis, Eune, tuam.
At Deus 10: Extabis ſupra regeſque, duceſque,
Veridico tandem rettulit ore tibi.
Tu tamen hinc vanos ſumpſiſti, Graecule, faſtus;
Iam magni dominus, iam pater orbis eras.
Ecce crucem aſcendis. Non te Deus, Eune, fefellit:
Omnia ſunt crepidis inferiora tuis.

Her-

1 Scripta in vetuſto ſ. antiquo marmore. 2 Infanti. 3 Vltra nonaginta. 4 Aſtyanactem. 5 Id, Neſtoris, qui fuit *Pyliorum* Rex. 6 Laomedontis Patris Priami, qui Troianus ſ. ex Phrygia erat. 7 Mihi erunt nova ſc. inaudita, quia falſa &c. 8 Ideſt, conſuluiſti Oracula omnia: haec enim ex tripode per Sacerdotes reſponſa dabant. 9 Vbi Oraculum Apollinis, & Pythia. 10 Apollo.

Herculis Strozzae.

XVIII. *Ad Petrum Bembum.*

1. Tecum habita, ut vivas; alibi quicumque moratur,
Non vivit; vita est vivere, Bembe, sibi.

XIX. *Epitaphium Ioannis Mirandulani.*

2. Ioannes iacet hic Mirandula. Cetera norunt
Et Tagus 1, & Ganges 2, forsan & Antipodes 3.

Petri Bembi.

XX. *Daphnis ad Faunum.*

1. Haec tibi 4, Faune, tua 5 quae pendet fistula pinu.
De victo grates Thyrside Daphnis agit.
Quod si etiam illius 6 dederis superare magistrum,
Caedetur festis alba capella tuis.

XXI. *Catelli Epitaphium.*

2. Nil tibi 7 non dominus tribuit, Bembine Catelle;
A quo nomen 8 habes, & tumulum, & lacrimas.

XXII. *Epitaphium Actii Sinceri Sannazarii.*

3. Da sacro cineri flores: hic ille Maroni
Sincerus Musa 9 proximus, ut tumulo 10.

An-

1 Hispaniae, & Lusitaniae fl. 2 Flum. Indorum. 3 Americani, qui infra nos sunt. 4 Tibi dedicatur. 5 Pinus est Fauno sacra. 6 Sc. Thyrsidis. 7 Sc. quidlibet tribuit. 8 *Bembus* erat Dominus, a quo *Bembinus* Catulus. 9 Praestantissimus Poeta Epicus. 10 Ambo Neapoli sepulti.

Andreae Naugerii.

XXIII. *Ad Cererem.*

1. Aspice, magna Ceres, tibi quos semente peracta
   Ducimus agrestes, rustica turba, choros.
Tu face 1, ne nimio semen putrescat ab imbre,
   Neu sulcos rapido frigore rumpat hiems.
Neu sterilis surgat silva infelicis avenae,
   Et quaecumque bonis frugibus herba nocet.
Neu terrae 2 prostrata animosi flatibus Euri
   Decidat, aut densa grandine laesa seges.
Neu direpta avidae rapiant frumenta volucres,
   Monstrave, quae terrae plurima saepe ferunt.
Sed quae credidimus bene cultis semina campis,
   Vberius largo foenore reddat ager.
Sic erit; interea nivei carchesia 3 lactis
   Fundite, & annoso mella liquata mero.
Terque satas circum felix eat hostia fruges,
   Caesaque mox sanctos corruat ante focos.
Nunc satis haec; post messem alii reddentur honores,
   Et sacras cingent spicea serta comas.

XXIV. *Ad Auras, Idmonis Votum.*

2. Aurae, quae levibus percurritis 4 aera pennis,
   Et strepitis blando per nemora alta sono.
Serta dat haec vobis, vobis haec rusticus Idmon
   Spargit odorato plena canistra croco.
Vos lenite aestum, & paleas seiungite inanes:
   Dum medio fruges ventilat ille die.

F XXV.

1 Sc. *fac.* 2 *In terram* deiecta, prostrata. 3 Pocula. 4 Idest *leniter spiratis*.

XXV. *Ad Panem Deum, Votum Iolae.*

3. Ille tuus, Pan montivage, venator Iolas,
Suetus in audaces cominus ire feras:
A quo & adhuc rictusque suum, exuviasque leonum
Sacra tibi agrestis munera pinus habet.
Nunc iam annis gravis haec devicti cornua cervi
Dedicat imbelli congrua dona seni.
Quum tamen Herculeae [1] facta inter fortia clavae
Is quoque sit laudem visus habere labor:
Tu Dive haec inter viridis decora alta iuventae
Suscipe, neve illis esse minora puta.

XXVI. *Baccho, Damidis Votum.*

4. Hanc vitem, multa quae semper fertilis uva
Haud unquam domini fallere vota solet:
Nunc etiam large florentem consecrat ipse
Vineti [2] cultor Damis, Iacche, tibi.
Tu face, Dive, tua haec spem non frustretur; & huius
Exemplo fructum vinea tota ferat.

XXVII. *Tumulus Augonis Canis.*

5. Venator celerem maerens [3] Augona Melampus
Confossum rapido dente ferocis apri,
Hic illi in ripa tumulum frondente sub umbra
Erigit: hoc ipso concidit ille loco.
Non impune quidem praedo sceleratus abivit;
Procubuit iaculis caesus, & ore canum.
Tu tamen, e cunctis canibus praestantior Augon,
Fide Augon, Silvis qui modo terror [4] eras:
Tu

[1] Inter labores Herculis est etiam Cerva Erymanthis ab ipso interfecta. [2] Id. Vineae. [3] Lugens Augona, f. moerens ob Augona &c. [4] Terrebas animalia, quae sunt in silvis.

Tu dilecte iaces, sed [1] ab alta hac fascia pinu
Millusque, & millo vincula iuncta suo:
Quin decisa feri cervix tibi pendeat hostis [2]:
Sintque una ex animo signa dolentis heri.

XXVIII. *Inscriptio Fontis.*

6. Et gelidus fons est, & nulla salubrior unda,
Et molli circum gramine terra viret:
Et ramis arcent soles frondentibus alni,
Et levis in nullo gratior aura loco est.
Et medio Titan nunc ardentissimus axe est,
Exustusque gravi sidere fervet ager.
Siste, viator, iter: nimio iam torridus aestu es.
Iam nequeunt lassi longius ire pedes.
Accubitu languorem, aestum aura, umbraque virenti;
Perspicuo poteris fonte levare sitim.

XXIX. *Tumulus Hylacis canis.*

7. Ante canes omnes Pastori carus Amyntae
Nuper ab Illyrico littore missus Hylax,
Dum solitas agit excubias, & septa tuetur,
Nec vigilant socii, cetera turba, canes:
Qua rapidus se se media inter saxa Timavus
Mergit, & inde iterum prosilit amne novo:
Ille quidem saeva vitulos tutatus ab ursa est;
Ipse sed ingenti vulnere caesus obit.
Constituit viridi tumulum de cespite Amyntas:
Haec voluit raram praemia habere [3] fidem.
Maesta gemunt armenta; mali furesque, lupique
Extincto hoc sibi iam cuncta licere putant [4].

1 Pendeat. 2 Apri, qui te occidit. 3 Sc. ut rara fides haberet. 4 Nullum enim canem alium ita metuunt.

XXX. *Votum Thelesonis*.

8. Dat Cereri has Thelefon fpicas, haec ferta Lyaeo 1,
Haec nivei lactis pocula bina Pali 2.
Pro quibus arva Ceres, vites foecundet Iacchus,
Sufficiat pecori pabula laeta Pales.

XXXI. *Baccho Votum Acmonis*

9. Quae duo fert collis foecundi vinitor 3 Acmon
Expreffi 4 primum cymbia plena meri.
Haec avidis mufti Satyris, muftique parenti
Dat iucunde tibi, vitis Iacche fator.
Illi 5 illaefa fuis linquant vineta rapinis;
Tu tua fac largis auctibus uva fluat.

XXXII. *De Pythagorae fimulacro f. ftatua*.

10. Quem toties vixiffe anima redeunte renatum
Mutato fama eft corpore Pythagoram;
Cerne, iterum ut docti caelo generatus 6 Afylae
Vivat; ut antiquum fervet in ore decus!
Dignum aliquid certe voluit; fic fronte fevera eft,
Sic in fe magno pectore totus abit.
Poffet & ille altos animi depromere fenfus:
Sed veteri obftrictus 7 relligione filet.

XXXIII. *In obitum Borgetti Catuli*.

11. Borgettus lepidus Catellus ille,
Cuius blanditias proterviores,
Et lufus herus ipfe tantum amabat,
Quantum tale aliquid poteft amari,

Nec

1 Baccho 2 Deae Paftorum. 3 Vineae cultor. 4 Quod primum expreffum eft. 5 Satyri. 6 Sculptus, expreffus. 7 Religiofiffimus enim filentii cuftos.

Nec mirum, dominum ſuum ipſe norat,
Caram bima 1 velut puella Matrem,
Et nunc illius in ſinu latebat,
Nunc blande aſſiliebat huc, & illuc
Ludens, atque avido appetebat ore
Erectis modo cruribus, bipeſque 2
Menſae adſtabat herili: heroque ab ipſo
Latratu tenerum cibum petebat;
Nunc raptus rapido, maloque fato
Ad Manes abiit tenebricoſos.
Miſelle o canis, o miſer catelle,
Nigras parvulus ut timebis umbras,
Vt ſaepe & dominum tuum requires,
Cui pro deliciis, iociſque longum
Heu deſiderium tui relinquis!

Ioannis Cottae.

XXXIV. *Ad Naugerium, & Io. Baptiſtam Turrianum.*

1. Iam valete, boni mei ſodales,
Naugeri optime, tuque amice Turri,
Vere candidi, & optimi ſodales,
Quos numquam ſat amaverim, licet vos
Quam fratres mage 3, quamque me ipſum 3 amarim.
Quibus perpetuum frui per aevum
Vota ſi mea Dii audiant benigni,
Sit una ampla animi mei voluptas.
Quod quanto cumulatius futurum eſt,
Vna ſi liceat mihi beatis
Veſtri colloquiis adeſſe Bembi!
Verum dura neceſſitas repugnat,

F 3 Invi-

1 Duos annos nata. 2 Inſiſtens duobus poſterioribus pedibus tantum. 3 Sc. magis quam fratres, & meipſum.

Invitumque alias adire terras
Cogit, atque alios parare amicos.
Vos ergo memores meo 1 esse vestri
Fixam in pectore imaginem, bonamque
Vobis partem animae meae relinqui,
Iam valete, boni mei sodales.

M. Antonii Flaminii.

XXXV. *Libellum suum Francisco Turriano dedicat.*

1. Ecce Flaminii tui libellum,
Candidissime Turriane, quem nos
Donamus tibi iure, quando 2 nemo
Tantum nos amat, aut amavit unquam.
Neque hoc munere, quod mihi dederunt
Formosae manibus suis Camoenae,
Dum colo Aonios puer recessus,
Potest dignior ullus esse, quam tu,
Quem Phoebus pater, & novem 3 sorores
Amant non minus, ac suos ocellos.
At vos, Numina 4 cara, Turriani
Famam cum lepido meo libello
Servate incolumem perenne in aevum.

XXXVI. *Ad Ioannem Casam.*

2. Disertissime Casa, quem libellum
Legendum dederas mihi, relegi
Saepe ac saepius, & tamen legendi
Is desiderium mihi reliquit.
Nec mirum, siquidem tuus libellus
Tam doctus, numerosus, elegansque est,
Vt scriptus videatur aureo illo
Seculo Ciceronis, atque ab ipso

Di-

1 Imaginem vestri. f. vestram infixam esse in meo pectore.
2 Quandoquidem. 3 Musae. 4 Musae.

Divino Cicerone; nec profecto
Vivet iste minus diu libellus,
Quam libri Ciceronis. Ergo Casa
Disertissime, perge, seculumque
Nostrum orna aureolis tuis libellis.

XXXVII. *Stephano Saulio amorem suum testatur.*

5. Ne tibi sim carus, Sauli carissime, ni te
Plus amo, quam natum mater amare solet.
Et merito (quis enim te dignior alter amari?
Aut quid amore tuo dulcius esse potest?)
Quaerat opes alius, magnos sibi quaerat honores;
Tecum dulce mihi vivere, dulce mori.

XXXVIII. *Baccho vineam suam commendat.*

4. Hanc vitem tibi dedico racemis
Gravem purpureis, pater Lyaee;
Pro qua tu mihi vineam tuere
Non dico a Satyrisve, capreisve,
Non a grandinis impetu, vel austri;
Sed a Pygmalione [1] Formiano,
Qui sua horribili voratione
Plus nocere queat duabus horis,
Quam grando, Satyrique, capreaeque,
Et venti rabies duobus annis.

XXXIX. *De Fure vinearum uvas devorante.*

5. Vicini, moneo, procul fugate
Istum Pygmaliona vinearum
Diram perniciem; canum frequentes
Adsint excubiae, diem atque noctem;
Sagittae, & lapides minentur; & quum

1 Nomen fictum, desumptumque a Pygmalione Didonis fratre rapacissimo, & crudelissimo.

Ista haec omnia feceritis, ipse
Vias inveniet tamen vorandi.

XL. *De eodem Fure.*

6. Praetor optime, vineas tueri
Ab hoc Pygmalione iam nequimus.
Quo vorat magis, in dies & horas
Augescit magis, & magis vorandi
Libido [1] furiosa, nec Charybdis [2]
Huius viscera quidquid est ubique [3]
Vvarum saturare possit; ergo
Rogamus miseri coloni, ut ista
Tempestas, barathrumque vinearum
Pellatur procul hinc malas in oras,
Dum vindemia pendet; aut bibemus
Lympham pro mero, & omnium labores
Obscaena ingluvie unius peribunt.

XLI. *Precatio ad Bacchum.*

7. Tu qui centimanum potes gigantem
Caelo trudere, Pentheumque [4] Regem
Letho mittis, & impium [5] Lycurgum,
Et Gangem [6] superas, & ultimum [7] Indum,
Invictissime Bacche, non furentem
Istum Pygmaliona iam coerces?
Qui fera ingluvie incitatus omnes
Vineas vorat, & tuum liquorem
Qui servandus erat cadis in annos
Plures, mittere ventris in cloacam

To-

1 Ardens cupiditas. 2 Id. huiusce *Carybdis*, non hominis: comparat Pygmalionem cum Charybdi, quae integras naves vorat. 3 Sc. uvae omnes, quae ubique sunt. 4 Pentheus, qui Bacchi sacra contemnebat, a matre, & sorore, Bacchico furore correptis interfectus fuit. 5 Thraciae Rex, qui, quum *impius* contra Bacchum vites omnes excidisset, a Baccho in furorem versus sibi ipsi damnum, ac mortem tandem intulit. 6 Gangem Indiae flum. 7 Extremos Indos.

Totum pergit, & annuos labores
Abſumit male pauculis diebus.
O monſtrum horribile! ultimas in oras
Pellendum, aut magis inferos ad imos.

XLII. *Gratias agit Baccho.*

8. Quod noſtras bene vineas, Lyaee
Servaſti incolumes, & integellas,
Diro Pygmalione ceterorum
Vineta ingluvie fera, & nefanda
Vaſtante; hoc tibi ponimus ſacellum,
Quod pro tempore ſit quidem puſillum
Acerna ex trabe, ſed tamen venuſtum eſt.
At ſi ſuſtuleris ferum, & tremendum
Hoc monſtrum, populus tibi merenti
Aedem marmoream, pater, ſacrabit.

XLIII. *Ad Hortum de morte dominae.*

9. Sic tibi perpetuam donet Pomona iuventam [1]
Hortule, dic, tanti quae tibi cauſſa mali?
Ille tuus decor in tenues evanuit auras,
Vt riget informi [2] quum fera bruma gelu.
Non roſa formoſum calathi iam pandit honorem,
Non violae ridet purpura lucidulae.
Aruit ille ſuo viridi cum gramine rivus,
Daedala [3] nec dulci voce ſuſurrat apis.
Quaeque decora albis canebat [4] floribus, ipſa
Ponit odoratas citria ſilva [5] comas.
Ah nivei ſubito cur nigreſcunt hyacinthi?
Atque notis implent flebilibus folia?
Cur vivax apium moritur, croceumque papaver?
Et panace [6] fuſis roſcida lacrimulis?

Hor-

1 Id. ſic ſemper vigeas, viridis ſis. 2 Quia nempe omnia informia reddit. 3 Artificioſa, ingenioſa. 4 Albicabat, alba erat. 5 Silva ex malis citrinis. 6 Herba quaedam.

Hortule num luges fatum infelicis Hyellae,
Et piget extinctam vivere post dominam?
Illa quidem fuerat vivens tibi caussa decoris;
Illa tibi moriens abstulit omne decus.

Basilii Zanchii.

XLIV. *De puero ab angue interempto.*

1. Luderet in viridi dum cespite Lydius infans
Propter aquam, ah pietas! ictus ab angue cadit.
Infelix mater natum est complexa iacentem;
Occidit angue puer, victa dolore parens.

XLV. *Tumulus Actii Sinceri Sannazarii.*

2. Has nassas, haec lina tibi, Sincere, sepulto
Piscator 1 tenui dedicat arte Mycon.
Hos calamos, myrtumque tibi, viridemque coronam
Arcadia 2 pastor ponit ab arte Lycon.
Has lacrimas, vulsamque a vertice Mergillina 3
Caesariem, & violas spargit, & ammineum.
Parthenope 4 patria ipsa tibi de marmore bustum
Condit, & extentis 5 funera temporibus.
Quid moror? aeterni te suscipit umbra Maronis,
Et sibi vicinum donat habere locum 6.

XLVI. *Olea vitibus implicata.*

3. Quid me implicatis, palmites,
Plantam Minervae, non Bromii 7?

Procul

1 Quia scripsit Eclogas Piscatorias. 2 Ob Eclogas Pastorales. 3 Villa prope Neapolim, quae inducitur vellens flores a vertice suo, quasi Nympha capillos. 4 Neapolis. 5 Quae diu futuris temporibus durabunt. 6 Ambo enim Neapoli sepulti sunt. 7 Bacchi.

Procul racemos tollite,
Ne virgo 1 dicar ebria.

Hippolyti Capilupi.

XLVII. *Ad Ioannem Austriacum.*

1. Te pater 2 aspiciens ex alto Caesar Olympo
Aequoreum celeri dum trabe 3 curris iter:
Perge, puer, dixit, nec te iam barbara 4 classis
Terreat, adverso quae movet arma Deo.
Ecce tuam circum volitat victoria puppim
Ecce suas ponunt Eurus, & unda minas.
Macte animo: ut dederam terris ego iura subactis,
Sic tibi devictis serviet aequor aquis.

Aloysii Priuli.

XLVIII. *Ad Neptunum.*

1. Haec Neptune tibi contrito retia lino,
Hos calathos, atque haec ferrea tela Lycon
Dedicat; inque altas supplex en proicit undas
Iam senior tremula lacque, merumque manu.
Dum licuit validis scrutatus viribus aequor,
His large eduxit 5 seque, suamque domum.
Nunc senio gravis exiguos vix littore pisces
Confidens calamis captat arundineis.
Tu vero, vasti cui parent aequora ponti,
Et quidquid magni continet unda maris:
Fac vacuus redeat numquam sub vespere praeda
Ille domum: parva haec munera parva petunt.

Hie-

1 Planta enim Minervae Virgini sacra, virgo ipsa quoque est.
2 Carolus V. Imper. 3 Sc. celeri nave, sive potius Classe.
4 Barbarorum s. Turcarum. 5 Nutrivit.

Hieronymi Vidae.

XLIX. *In Coenaculo Villae suae.*

1. Hospes, si olus, dapesque inemptas non piget
Coenare 1 mecum; accumbe, personam 2 exue:
Natura 3 disces quantuli indigeat cibi,
Ne transmarinis sit opus apparatibus.

L. *In Poetam Satyricum.*

2. Carmine quod carpis qui numquam carmine laedit,
Cui numeri insontes 4, & sine felle placent:
Vnum id te excruciat, quod vulgi a moribus absim,
Hincque meis tendis moribus insidias;
Meque remordentem cuperes tua cernere contra 5.
Numquam hoc efficies; candida Musa mea est.

LI. *De Capro Vitem rodente 6.*

Rode, caper, vitem; tamen hinc quum stabis ad aras,
In tua quod 7 spargi cornua possit, erit.

LII. *De Puero, qui capite truncatus fuit a glacie fl. Ebri 8.*

Thrax 9 puer adstricto glacie dum luderet Ebro 10
Frigore concretas pondere 11 rupit aquas 12.
Dum-

1 Manducare mecum in coena. 2 Severitatem, gravitatem depone. 3 Disces quam pauco cibo indigeat natura. 4 Innoxii versus, carmina quae nemini nocent. 5 Cuperes cernere me contra remordentem tua carmina s. dicta. 6 Ex Anthologia Graec. Lib. I. versus latini P. Ovidii Nasonis. 7 Vinum ad libationem in sacrificio. 8 Ex Anthol. Graec. Lib. I. vers. Lat. Germanici Caesaris. 9 Ex Thracia. 10 Flum. Thraciae. 11 Gravitate corporis sui. 12 Aquas gelu constrictas s. glaciem.

Dumque imae 1 partes rapido traherentur ab amne,
Praesecuit tenerum lubrica 2 testa caput.
Orba quod inventum mater dum conderet urna:
Hoc peperi flammis 3; cetera, dixit, aquis.

LIII. *De Andragora, qui dormiens repente mortuus est* 4.

Lotus 5 nobiscum est hilaris, coenavit & idem 6;
Inventus mane est mortuus Andragoras.
Tam subitae mortis caussam, Faustine, requiris?
In somnis 7 medicum viderat Hermocratem.

LIV. *De Caeco, & Claudo simul incedentibus* 8.

Insidens 9 caeco graditur pede claudus utroque 10,
Quo caret alteruter sumit ab alterutro.
Caecus namque pedes claudo, gressumque ministrat;
At claudus caeco lumina pro pedibus.

LV. *In Croesum Lydorum Regem iam mortuum* 11.

Effigiem 12, Rex Croese, tuam, ditissime Regum,
Vidit apud Manes Diogenes Cynicus.
Constitit, atque procul, solito maiore cachinno 13
Concussus, dixit; quid tibi divitiae
Nunc prosunt, Regum Rex o ditissime? quum sis
Sicut ego solus 14; me quoque pauperior?
Nam quaecumque habui mecum fero, quum nihil ipse
Ex tantis tecum, Croese, feras opibus.

LVI.

1 Inferiores collo. 2 Glacies. 3 Flammis rogi, s. Pyrae. 4 Ex Anthol. Graec. Lib. II. vers. Lat. Valerii Martialis. 5 In Balneo. 6 Hilaris. 7 Quia Medicus hic vel in somnis apparens sanos etiam occidebat. 8 Ex Antholog. Graec. Lib. I. In hoc Epigrammate & uno ac viginti, quae sequuntur, Latini versus sunt Ausonii. 9 Innixus. 10 Ambulat non uno, sed duobus saltem pedibus, quia ipsi inserviunt caeci hominis pedes. 11 Ex Anthol. Lib. I. 12 Vmbram, simulacrum. 13 Effusus in risum solito maiorem. 14 Sine sociis, servis, opibus &c.

LVI. *Beneficia cito praestanda esse* 1.

Gratia, quae tarda est, ingrata est, gratia namque
Quum fieri properat 2, gratia grata magis.

LVII. *De lepore capto a cane marino* 3.

Trinacrii 4 quondam currentem in littoris ora
Ante canes 5 leporem caeruleus 6 rapuit.
At lepus: in me omnis terrae, 7 pelagique 7 rapina est;
Forsitan & 8 caeli, si canis astra tenet.

LVIII. *In Avaro, qui thesauro amisso se suspendit* 9.

Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum,
Thesaurique loco deposuit laqueum.
At qui condiderat 10, postquam non repperit aurum,
Aptavit collo quem reperit laqueum.

LIX. *Pulchrum Dei responsum* 11.

Doctus Hylas cestu, Phegeus catus 12 arte palestrae,
Clarus 13 Olympiacis est Lycus in stadiis 13,
An possent omnes venturo vincere agone 14
Hammonem 15 Lybiae consuluere Deum.
Sed Deus, ut sapiens 16, dabitur victoria vobis
Indubitata quidem, si caveatis, ait;

Ne-

1 Ex Anth. Graec. Lib. I. 2 Quum cito fit. 3 Ex Anthol. Lib. I. 4 Siculi. 5 A quibus fugiebat. 6 Sc. *Marinus* Canis. 7 Scil. me rapiunt omnes in terra, & in mari. 8 Forsan & iam raperent me in caelo &c. 9 Ex Anth. Gr. 10 Qui thesaurum ibi condiderat f. posuerat. 11 Ex Anth. Graec. Lib. II. 12 Peritus, doctus. 13 Cursu, quod certamen fiebat praesertim in stadio Olympico. 14 Certamine, Ludis. 15 Iovem Hammonem, cuius Oraculum in Libia. 16 Quae sequuntur verba continent responsum Oraculi.

Nequis Hylam ceſtu, nequis certamine luctae
Phegea, ne curſu te, Lyce, praetereat.

LX. *In Alconem Medicum* 1.

Alcon heſterno 2 ſignum Iovis attigit: ille
Quamvis marmoreus vim 3 patitur Medici.
Ecce hodie iuſſus transferri ex aede vetuſta
Effertur 4, quamvis ſit Deus, atque lapis.

LXI. *In eumdem* 5.

Languenti 6 Marco dixit Diodorus haruſpex
Ad vitam non plus ſex 7 ſupereſſe dies.
Sed Medicus Divis, fatiſque potentior 8 Alcon
Falſum convicit illico haruſpicium.
Tractavitque manum, victuri 9, ni tetigiſſet:
Illico nam Marco ſex periere 10 dies.

LXII. *De Fauſtulo pumilione* 11.

Fauſtulus inſidens formicae, ut magno Elephanto,
Decidit, & terrae terga ſupina dedit.
Moxque idem ad mortem eſt multatus calcibus eius 12,
Perditus 13 ut poſſet vix retinere animam.
Vix tamen eſt fatus: quid rides, improbe livor,
Quod cecidi? cecidit non aliter Phaeton 14.

LXIII.

1 Ex Anth. Graec. Lib. II. 2 Sup. die, ſcil. *heri*. 3 Vim malignam, quae interficit. 4 Ludit hoc verbo, quo ſignificatur etiam translatio cadaveris ad ſepulcrum. 5 Ex Anth Graec Lib. II. 6 Infirmo. 7 *Sex dies, non autem plus*. 8 Ad mortem ſcil. non ad ſanitatem afferendam. 9 Marci, qui vixiſſet. 10 Obiit enim ſtatim. 11 Ex Anth. Graec. Lib. II. 12 Formicae. 13 Contuſus, labefactatus. 14 Qui e curru ſolis patris in terram decidit.

LXIII. *In malum saltatorem* 1.

Deceptae 2 felix casus se miscuit arti.
Histrio, saltavit qui Capanea 3, ruit:
Idem, qui Nioben 4 saltavit, saxeus; ut tum
Spectator veram crediderit Nioben.
In Canace visus multo felicior ipsa,
Quod non hic gladio viscera dissecuit 5.

LXIV. *In eumdem*.

Daphnen, & Nioben saltavit simius idem
Ligneus ut Daphne, sexeus ut Niobe.

LXV. *In Thrasybulum Spartanum fortem adolescentem* 6.

Excipis adverso quod pectore vulnera septem,
Arma 7 superveheris quod, Thrasybule, tua.
Non dolor hic patris, Pitanae 8 sed gloria maior:
Rarum tam pulchro funere posse frui.
Quem postquam maesto socii posuere pheretro,
Talia magnanimus edidit orsa pater:
Flete alios, natus lacrimis non indiget ullis
Et meus, & talis 9, & Lacedemonius.

LXVI. *De illustri viro mortuo* 10.

Stella prius superis 11 fulgebas Lucifer; at nunc
Extinctus cassis 12 lumine vesper eris.

LXVII.

1 Ex Anthol. Graec. 2 Scil. error in arte saltandi coniunctus fuit cum felicitate saltatoris. 3 Qui cecidit fulmine percussus a Iove. 4 Quae in saxum conversa fuit. 5 Canace enim se gladio peremit. 6 Ex Anthol. Graec. Lib. III. 7 Sc. veheris super tua arma. 8 Pitana Vrbs Laconiae Patria huius Thrasybuli. 9 Sc. tam strenuus, qui hoc modo mortuus est. 10 Ex Anth. Graec. Lib. III. 11 Hominibus viventibus. 12 Mortuis.

LXVII. *In Eteoclem, & Polynicem* 1.

Nec Stygiis 2 lucis ineunt ſua foedera fratres
Oedipodionidae 3, de miſero 4 ah miſeri!
Namque etiam ex uno ſurgentes aggere 5 flammae
In diverſa 6 ſui diſſiliunt cineris.
Infandos iuvenes! quos nec diſcordia caſſos 7
Luce, nec in ſemet 8 linquit atrox animus.
Atque utinam, & Thebas quiſſent 9 partirier 10 ipſas,
Regnorum 11 & metas, ut cinerum nebulas 12.

LXVIII. *In ſepulcrum Diogenis Cynici, in quo Canis ſculptus erat* 13.

Dic canis, hic cuius tumulus? canis. At canis ecquis?
Diogenes 14. Obiit? non obiit, ſed abit.
Diogenes, cui pera penus, cui dolia ſedes 15,
Ad Manes abiit? Cerberus ire vetat.
Quonam igitur? clari flagrat qua 16 ſtella Leonis,
Additus eſt iuſtae 17 nunc canis Erigonae 18.

1 Ex Anthol. Graec Lib. III. 2 In ſilvis infernis ſ. apud Inferos. 3 Filii *Oedipodis*, ſive Oedipi. 4 Ex miſero patre miſeri filii. 5 Ex uno eodemque rogo ſ. Pyra. 6 In duas dividuntur partes diverſas, ut corpora ſ. cineres mortuorum 7 Mortuos. 8 Animus a corpore diviſus, ac ſolus. 9 Potuiſſent. 10 Partiri, dividere Thebas Vrbem Boeotiae, quae fuit Regia Oedipi. 11 Terminos, fines. 12 Quae a vento diviſae ſunt. 13 Ex Anthol. Graec. Lib. III. 14 Diogenes enim *Cynicus* vocatur etiam *Canis*. 15 Domus. 16 In Zodiaco. 17 Virgini Caeleſti id. conſtellationi, ſeu ſideri. 18 Alludit ad fabulam Erigonae. Haec autem *iuſta* nunc dicitur, quia accipiens Diogenem apud ſe in caelo, habebit canem dignum revera qui inter aſtra collocetur.

LXIX. *De Bucula aerea Myronis* 1.

Pasce greges procul hinc, ne, quaeso, bubulce, Myronis
Aes, veluti 2 spirans, cum bobus exagites 3.

LXX. *De Medea picta a Timomacho* 4.

Medeam vellet quum pingere Timomachi mens
Volventem in natos crudum animo facinus 5.
Immanem exhausit rerum in diversa 6 laborem,
Fingeret affectum matris ut ambiguum.
Ira subest lacrimis, miseratio non caret ira;
Alterutrum videas ut sit in alterutro.
Cunctantem satis est: nam digna 7 est sanguine mater
Natorum, tua non dextera, Timomache.

LXXI. *De imagine Rufi Rhetoris* 8.

Elinguem quis te dicentis 9 imagine pinxit?
Dic mihi, Rufe, Taces, nil tibi tam simile est.

LXXII. *Epitaphium Aiacis* 10.

Aiacis tumulo pariter 11 tegor obruta virtus,
Illacrimans bustis funeris ipsa mei,

In-

1 Ex Anth. Graeca Lib. IV. 2 Scil. aeream vaccam a Myrone conflatam perinde ac si viveret. 3 Pellere, alio ducere imprudenter coneris. 4 Ex Anth. Graec. Lib. IV. 5 Caedem nempe ipsorum, quos trucidavit. 6 Maximum insumpsit laborem ad exprimendos duos diversos affectus. 7 Ita legit Mariangelus Accursius. Sensus est. *Nam decet quidem ut crudelis haec mater effundat sanguinem filiorum suorum; non decet tamen ut hanc caedem manus tua, o Timomache, pingat, exprimat.* 8 Ex Anthol. Lib. IV. 9 Rhetoris, cuius munus est eloquenter dicere. 10 Ex Anthol. Lib. III. 11 Simul cum Aiace, sive aeque ac ipse.

Incomptas lacerata comas, quod pravus [1] Atrides
Cedere [2] me structis compulit insidiis.
Iam dabo purpureum claro de sanguine florem [3]
Testantem gemitu [4] crimina [5] iudicii.

LXXIII. *In Venerem e mari exeuntem ab Apelle pictam* [6].

Emersam pelagi nuper genitalibus [7] undis
Cypris Apellaei cerne laboris opus.
Vt complexa manu madidos salis [8] aequore crines
Humidulis spumas stringit utraque comis.
Iam tibi nos, Cypri, Iuno inquit, & innuba Pallas
Cedimus, & famae praemia deferimus.

LXXIV. *Nemesis* [9].

Me lapidem quondam Persae advexere, trophaeum [10]
Vt fierem bello; nunc ego sum Nemesis [11].
At sicut Graecis victoribus asto trophaeum [12],
Punio sic Persas vaniloquos Nemesis.

LXXV. *Lais dicans Veneri speculum suum* [13].

Lais anus Veneri speculum dico, dignum habeat se,
Aeterna aeternum forma ministerium.
At mihi nullus in hoc usus; quia cernere talem
Qualis sum nolo, qualis eram nequeo.

1 Agamemnon *Atrei* fil. 2 In iudicio de Armis Achillis. 3 Hyacinthum. 4 In foliis Hyacinthi leguntur litterae αι, αι: haec autem est vox hominis gementis 5 Iniustum iudicium. 6 Ex Anthol. Graec Lib IV 7 Quibus ipsa genita fuit. 8 Maris unda, s. aqua *Salis* nomine hic mare accipitur, ut apud Graecos ἅλς nomine indicatur. 9 Ex Anth. Gr. Lib. IV. 10 Quum enim putarent se victuros, me trophaeum statuere decreverant. 11 Dea nempe, quae eorum superbiam punio. 12 Graeci enim, quum vicissent, me trophaeum posuerunt. 13 Ex Anth. Graec. Lib. IV.

LXXVI. *Mater Spartana filii ignaviam morte punivit* 1.

Mater Lacaena conspicata filium
Relicta inermem parmula,
Progressa contra traiicit ferro latus,
Super necatum his increpans:
Abi hinc, morere, non digna me proles;
Mentite patriam, & genus.

Exposit. Epigr. Prof.

„ *Mater Spartana, quum vidisset filium suum, qui*
„ *e bello redux amissis armis, celeri passu in patriam*
„ *revertebatur; obvia ei facta eius iecur lancea tra-*
„ *iecit, masculo hoc sermone eum a se interfectum*
„ *increpans: Degener a Sparta, dixit, eas ad Orcum,*
„ *eas, mentitus enim es & Patriam, & genus.*

LXXVII. 2 *De Hercule, & Antaeo lucta certantibus* 3.

Conseruere manus validae in certamine luctae
Neptuni soboles, stirpsque superba Iovis.
Praemia non illis lucenti ex aere lebetes;
Dicta sed alterutri vitave, morsve fuit.
Occidit Antaeus; decuit victoria Graium,
Graecia enim luctae, non Lybia autor erat.

„ *Experti sunt vires suas in certamine validae lu-*
„ *ctae &* Antaeus *Neptuni, & Hercules Iovis filius.*
„ *Pugnabant autem non pro aereo lebete; sed quis*
„ *vitam, aut mortem referret. Succumbit Antaeus* tan-
„ dem. *Decet sane ut vincat Hercules Iovis fil. Grae-*
„ *corum propria est lucta, non Afrorum.*

LXXVIII.

1 Ex Libro I. Anthologiae Graecae Latinis versibus expressum a Michaele Tarchaniota Marullo. 2 Hoc Epigramma cum quinque sequentibus, nimirum LXXVIII. LXXIX. LXXX. LXXXI. LXXXII. ex versione Andreae Alciati.
3 Ex Anthol. Lib. I.

LXXVIII. *De Aria Tharsensi cursore pernicissimo* 1.

Ecce Meneclides Arias, ut Persea cursor
Indicet auctorem, Tarse Cilissa, tuum.
Qui tales summis habet in plantaribus alas,
Vt sua nec Perseus huic dare terga queat.
Ergo in carceribus poteris, vel cernere metis
Currentem; medio non poteris stadio.

„ *Ariat fil. Meneclis cursor non negat, scil. confir-*
„ *mat Perseum tuum conditorem esse, o Tharse Cili-*
„ *ciae urbs. Tales enim huic puero, quales Perseo,*
„ *alati pedes; atque illi ne Perseus quidem ipse dor-*
„ *sum ostenderet sc.* praecederet, *currens. Etenim vel*
„ *in carceribus, vel ad metam extremam, numquam*
„ *autem in medio stadio adolescentem hunc videre quis*
„ *potest.*

LXXIX. *De humanae vitae bonis, & malis* 2.

Plus solito humanae nunc defle incommoda vitae,
Heraclite; scatet pluribus illa malis.
Tu rursus, siquando alias, extolle cachinnum,
Democrite, illa magis ludicra facta fuit.
Interea haec cernens meditor, quo denique tecum
Fine fleam, aut tecum quomodo splene iocer.

„ *Defle, Heraclite,* hominum *vitam multo magis*
„ *quam dum vivebas; nunc enim est vita lacrimis*
„ *magis digna. Vitam ipsam ride nunc, o Democri-*
„ *te, plusquam antea: vita enim quae nunc agitur,*
„ *est quavis alia risu magis digna. Vtrumque inspi-*
„ *ciens ego interea cogito quomodo tecum,* Heraclite,
„ *lugere, quomodo tecum,* Democrite, *ridere debeam.*

1 Ex Anthol. Graec. Lib. I. 2 Ex Anthol. Graec. Lib. I.

LXXX. *Praemium pietatis in mortuos* 1.

Quum curvos piscator aquis educeret hamos,
Naufragi anfractum sustulit aere caput.
Maxima mox hominis flens infortunia, parvo,
Quae super hinc fuerant condidit ossa solo.
Pondera sed fodiens ingentia repperit auri;
Iusto homini numquam gratia facta perit.

„ *Piscator ex littore adunco hamo pisces petens traxit*
„ *calvariam hominis naufragi. Miseratus autem il-*
„ *lud mortui caput sine corpore, manu inermi effo-*
„ *diens terram, exiguum aggessit tumulum. Ibi au-*
„ *tem invenit conditum auri thesaurum: sane iustis*
„ *viris pietatis praemium numquam deest.*

LXXXI. *Inutiles labores fugiendos esse* 2.

Abluis Aethiopem quid frustra? ah desine; noctis
Illustrare nigrae nemo potest tenebras.

„ *Cur frustra lavas corpus* nigri *Indi. Non potes*
„ *caliginosam noctem solis lumine illustrare.*

LXXXII. 3 *De silentio* 4.

Rebus in humanis magna est doctrina tacere,
Testis erit sapiens hic mihi Pythagoras.
Nempe loqui doctus, alios reticere docebat,
Magnum hoc ad requiem pharmacon inveniens.

„ *Silentium inter homines est magna eruditio. Te-*
„ *stem huius rei habeo Pythagoram ipsum sapientem.*
„ *Qui loqui quum sciret docebat alios silentium; quum*
„ *comperisset hoc esse efficax medicamentum ad animi*
„ *quietem.*

LXXXIII.

1 Ex Anthol. Graec. Lib. I. 2 Ex Anthol. Graec Lib. II. 3 Hoc, & duo sequentia Epigrammata ex vers. lat. Thomae Mori. 4 Ex Anthol. Graec. Lib. II.

LXXXIII. *In Stratophontem Pugilem* 1.

Dux Ithacus patria bis denos abfuit annos;
Quum rediit, celeri cognitus usque cani est.
Te, pugil o Stratophon, certantem quattuor horas
Et canis, & populus dedidicere simul.
Quin etiam speculum de te si consulis, ipse
Iuratus, Stratophon, te Stratophonta neges.

„ *Quum post viginti annos sospes in patriam rediis-*
„ *set, Vlyssem, eius vultum aspiciens, agnovit velox*
„ *canis. Sed tu, o Stratophon, postquam pugilatu*
„ *certasti per quatuor horas, non canibus sed toti huic*
„ *civitati ignotus evasisti. Imo si faciem tuam in spe-*
„ *culo respicere volueris, iuratus dices tu ipse, non*
„ *sum Stratophon.*

LXXXIV. 2 *In Philosophum qui longam barbam alebat* 3.

Si promissa facit sapientem barba, quid obstat
Barbatus possit quin caper esse Plato?

„ *Si alere barbam videtur sapientiam conferre; bar-*
„ *batus quoque caper instructus s. perfectus erit iam*
„ *Plato.*

LXXXV. *De ingrati animi vitio* 4.

Admoveo nolens catulo distenta lupino
Vbera, eo me amens sed trahit upilio.
In me lacte meo nutritus saevier olim;
Flectere naturam gratia nulla potest.

1 Ex Anthol. Gr. Lib. I. 3 Ex Anthol. Gr. Lib. II.
2 Epigramma hoc cum sequentibus usque ad LXXXIX. latinis versibus sunt expressa ab Vrsino Velio. 4 Ex Anthol. Graec. Lib. I.

„ *Lupum propriis uberibus nutrio non ſponte, ſed*
„ *cogit me Paſtoris amentia. Poſtquam meo lacte cre-*
„ *verit, contra me fera iterum erit. Beneficia muta-*
„ *re naturam non poſſunt.*

LXXXVI. *De falſis amicis* 1.

Non aeque damno eſt odium ore profeſſus aperto,
Ac qui ſinceram fingit amicitiam.
Vitatu facilis nobis qui cognitus hoſtis;
Vitari, qui ſe dicit amare, nequit.
Hic hoſtis capitalis erit, quicumque nocebit
Praetextu fidae fretus amicitiae.

„ *Non ita nocet qui aperte dicit ſe odiſſe nos,*
„ *quemadmodum qui fingit ſinceram amicitiam. Eum*
„ *enim qui nos odit, quia nobis cognitum, declina-*
„ *mus; eum vero, qui dicit ſe amare nos, non cave-*
„ *mus. Illum ego gravem inimicum cenſeo qui clam*
„ *nocet dum ipſi credimus decepti ſpecie amicitiae.*

LXXXVII. *De odio Novercarum in privignos* 2.

Dat puer exiguo monumento ſerta Novercae,
Cum vita & mores depoſuiſſe ratus.
Illa pium oppreſſit tumulo delapſa. Novercae
Vos quoque privigni buſta cavete procul.

„ *Cippum ſepulcralem Novercae, qui erat ex marmo-*
„ *re, coronabat Puer, exiſtimans ut vitam, ita mo-*
„ *res quoque eam mutaviſſe. At illa ſuper tumulum*
„ *delapſa occidit puerum cadens: fugite, privigni ipſum*
„ *quoque Novercae ſepulcrum.*

LXXXVIII.

1 Ex Anth. Graec. Lib. I. 2 Ex Anth. Graec. Lib. I.

LXXXVIII. *De Puero quinquenni defuncto* 1.

Quinquennem rapuit puerum immiserabilis Orcus
Curarum vacuum, nomine Callimachum.
Sed me flere cave; nam paucos, ut brevis, annos
Vixi, sic vitae pauca sinistra tuli.

„ *Me Callimachum quinquennem puerum, animo adhuc*
„ *curis vacuo, rapuit immitis Orcus. Ne me tamen*
„ *lugeas. Etenim parum quidem habui vitae, sed pa-*
„ *rum quoque malorum, quae affert vita.*

LXXXIX. *Bitonis rustici Votum* 2.

Pani caprum, Nymphisque rosas, thyrsumque Lyaeo
Arbore sub viridi dat tria dona Biton.
Aequanimes capite haec, Divi; semperque fovete,
Pan, pecudes; Nymphae, flumina; Bacche, solum.

„ *Triplex munus obtulit Biton sub virenti arbore;*
„ *Pani Capellam, Nymphis Rosas, thyrsum Baccho. Li-*
„ *benter haec accipite, o Numina; atque augete sem-*
„ *per, tu, o Pan, gregem, vos Nymphae fontem, tu*
„ *o Bacche, gaudium.*

XC. 3 *De loco mortis* 4.

Qui petis hinc Orcum, quid differs? sive ab Athenis
Seu Meroe prodis, undique recta via est.
Anxius ah ne sis, tibi patria quod procul extat
Terra; etiam hinc ventus namque secundus erit.

„ *Ad Orcum rectus est descensus, sive Athenis, sive*
„ *Meroe navigationem instituas. Ne doleas ocumbens*
„ *pro-*

1 Ex Anth Graec. Lib. III. 2 Ex Anth. Graec. Lib. IV. 3 Hoc, & duo sequentia Epigrammata ex vers. lat. Cornarii. 4 Ex Anthol. Graec. Lib. I.

„ *procul a Patria: ex qualibet parte idem flat secun-*
„ *dus ventus ad Orcum ferens.*

XCI. *Ad malum Pictorem* 1.

Pinxisti Phaetonta, Menestrate, Deucalionemque,
Ac simul amborum praemia digna rogas.
Maxime uterque suis est dignus honoribus, igne
Nimirum Phaeton, Deucalion & aqua.

„ *Postquam, o Menestrate, Deucalionem, & Phaeton-*
„ *tem pinxisti, quaeris quid horum quilibet merea-*
„ *tur. Praestabimus s. decernemus utrique honorem s.*
„ *praemium cuique proprium: dignus revera est Phae-*
„ *ton igne, aqua vero Deucalion.*

XCII. *De imagine Pythagorae* 2.

Pythagoram certa pinxisset voce loquentem
Pictor, sed non vult dicere Pythagoras.

„ *Ipsum vere Pythagoram expressit Pictor, quem vi-*
„ *deres loquentem, si loqui vellet Pythagoras.*

XCIII. 3 *In fictos amicos* 4.

Officio mecum certes, ac desine fraudes
Nectere, si vere sum tibi amicus ego.
Perniciosus enim quisquis simulabit amorem,
Et minus ille nocet, qui nocet usque palam.
Quique latent pelago scopuli, plus navibus obsunt,
Quam quos extantes navita cernit aquis.

„ *Si me amas, opere me ames; & ne mihi noceas*
„ *abutens amicitia veluti primo ad nocendum instru-*
„ *men-*

1 Ex Anthol. Graec. Lib. II. 2 Ex Anthol. Graec Lib. IV. 3 Hoc, & tria sequentia Epigrammata latinis versibus reddita a Ioanne Sleidano. 4 Ex Authol. Graec. Lib. II.

,, mento. Omnibus ego hominibus apertam inimicitiam ,, dolosa amicitia minus noxiam esse dico: dicunt nempe etiam navibus per mare vagantibus tectos scopulos magis noxios esse, quam saxa quae videntur.

XCIV. *De pumilione quodam* 1.

Pumilio quum forte Macron sub sole cubaret,
Mus pede non magno traxit in antra virum.
Qui simul atque suis tantum colliserat hostem
Viribus; en age nunc Hercules alter, ait.

,, Macronem pumilionem aestus hora dormientem exiguo pede arreptum traxit mus in foramen suum. Ubi ,, quum, licet exilis, murem tandem suffocasset: en tibi, inquit, o Iupiter, alter Hercules.

XCV. *De Carminum aeternitate* 2.

Saxa cavat tempus, ferro nec tempora parcunt;
Omnia sed mollit tempore longa dies.
Laertae sic busta terit quoque littora propter
Aethere de summo defluus imber aquis.
Immortale sed heu nomen delere vetustas
Herois, Musa vindice, nulla potest.

,, Terit etiam saxa diuturnum tempus, & ferro non ,, parcit; sed omnia eodem modo consumit. Ita hoc ,, Laertis sepulcrum, quod prope littus paullatim consumitur madefactum a frigidis imbribus. Nomen tamen

Hero-

1 Ex Anthol. Graec. Lib. II. 2 Ex Anthol. Graec. Lib. III.

„ *Herois semper novum est. Carmina enim, licet volue-*
„ *rit, non potest tempus deterere.*

XCVI. *De Senibus, & Senectute* 1.

Dolia, si fundum gustu tentaris, acescunt
Protinus ut dulci sunt vacuata mero.
Et spatiis exhausta suis annosa senectus,
Iam praeter faecem nil habet, & choleram.

„ *Si in vasis relinquatur parum dulcis vini; in ace-*
„ *tum vertitur hoc quod restat. Ita senex, qui totum*
„ *vitae suae tempus exhausit, fit, veluti acetum, acer*
„ *ad iram.*

XCVII. *De Statua Rufi inepti Rhetoris.*

Rhetoris est Statua, & iam Rhetor Rhetoris icon.
Cur ita? Si taceat, nil simile huic magis est.

„ *Rhetoris est haec imago, imo haec Rhetoris imago*
„ *est Rhetor ipse. Quomodo? non loquitur, adeoque ni-*
„ *hil hac similius est Rhetori illi.*

XCVIII. *De Avaro* 3.

Murem Asclepiades, ut apud se vidit avarus,
Ecquid, ait, prope me, mus mihi care, facis?
Comi-

1 Ex Anth. Graec. Lib. I. Ex lat. vers. Cornarii.
2 Ex Anthol. Graec. Lib. II. lat. versibus redditum a Lu-
scinio. 3 Ex Anthol. Graec. Lib. II. ex lat. vers. Andreae
Alciati.

Comiter arridens cui mus, ne me exige, dixit;
Hic ego non vitam quaero, sed hospitium.

„ *Asclepiades avarus murem domi suae vidit: &*
„ *quid apud me facis, mus carissime, dixit. Mus au-*
„ *tem leniter ridens, ne timeas dixit, amice, non cibum*
„ *apud te quaerimus, sed hospitium.*

XCIX. *Nominis aeternitatem Poetae mortuo pollicetur* 1.

Heraclite, mihi quidam tua funera dixit,
Et subito lacrimis immaduere genae.
Quum memini longos quoties consumpsimus ambo
Soles, miscentes seria multa iocis.
Pulvis at es tenuis nunc, hospes; sed tua Musa
Vivit, Plutonis nec timet illa manus.

„ *Vt mortem mihi tuam nunciavit quidam, Heracli-*
„ *te, lacrimas mihi excussit. Memini enim quoties*
„ *ambo sermones conferentes vidimus solem occidere.*
„ *Tu quidem iampridem es cinis, sed vivunt tua car-*
„ *mina lusciniae cantibus aequalia, quibus manus in-*
„ *ferre non poterit Pluto rerum omnium raptor.*

C. *De Baccho & Hercule* 2.

Ortus uterque Iove, & Thebis; bellator uterque;
Hic clava, thyrsis ille tremendus erat.
Sudo-

1 Ex Anth. Gr. Lib. III. latinis versibus expressum a Bentino. 2 Ex Anth. Graec. Lib. IV. Ex lat. vers. Vrsini Velii.

Sudorumque pares metae, paria arma; leonis
Exuvio, hinnuleus, cymbala cum ſtrepitu.
Iuno Dea ambobus gravis: & tellure relicta,
Et flamma ad Superos venit uterque Deos.

,, *Ambo Thebani, ambo bellatores, & Iovis filii;*
,, *thyrſo ille, hic clava timendus. Ambobus idem ter-*
,, *minus Columnae ſcilicet ſ. extremae Orbis partes:*
,, *ſimilia arma, hinnuli pellis pelli Leonis, cymbala*
,, *crepitaculis. Iuno Dea ambobus infeſta. A terra ad*
,, *Superos ambo ex igne venerunt.*

F I N I S.

LB